ЛУКОКЪ МОСКОВСКІЙ.

$175

ЧУРОКЪ МОСКОВСКІЙ.

Sive

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
RELIGIONE RITIBVSQVE
ECCLESIASTICIS

MOSCOVITARVM

Quam

PRÆSIDE

Plurimùm Reverendo, Excellentissimo & Amplissimo Viro,

DN. JOH. ERNESTO GERHARDO,

SS. Theol. D. & P. P. in illustri ac florentissima Academia Jenensi famigeratissimo, Dn. Patrono, Mæcenate, ac Præceptore suo æternùm colendo, devenerando,

ad d. 18. Octobris Anno M. DC. LXII.

IN AVDITORIO THEOLOGORVM

Horis promeridianis

Publicæ disquisitioni submittit

JOHANNES SCHVVABE,

Revalià-Livonus, Respondens.

JENÆ, Typis PAVLI EHRICHII

Anno 1710.

INCLVTÆ REIPVBLICÆ

REVALIENSIS

DNN. CONSVLIBVS TOTIQVE ORDINI SENATORIO EMINENTISSIMO,

Viris antiquâ ac nobilisſimâ generis proſapiâ, autoritate magnificâ, rerumque uſu inſigni, tum verò & adminiſtrandæ Reipublicæ prudentiâ maximê conſpicuis ſplendidisſimisque

Dominis Patronis atque Mæcenatibus meis Optumis, Maxumis,

Imperium tutum, obſequentes ſubditos, Rempubl. florentem, atque adeo omnia, quæ hominis eſſe vota poſſunt, cordicitus precor.

TImperatorem Romano-Germanicum, nescio quem Historiarum monumenta produnt, jurati sui hostis mausoleum, magnificè admodùm extructum præteriisse, cùmque instarent itineris comites, ne permitteret, ut quem vivum infensissimum habuisset hostem, mortuum tam pretioso frui mausoleo concederet: scitè illis regessisse; *Ego verò optarem, omnes mei hostes sub tam splendidis quiescerent ut mausoleis.* Mearum si fuisset virium, ac nimis curta ingenii mei supellex permisisset, ut Moscovitarum, hostium Reip. Vestræ infensissimorum errores, quos circa præcipuos fidei Christianæ articulos fovent haut leves, non solùm penitus sepelire, sed & splendido contegere monumento potuissem, næ æque generoso VOS animo futuros confido, ac ille fuit Imperator, adeoque non solùm æquâ id mente toleraturos, verùm exoptaturos insuper, ut juxta cum erroneis suis dogmatibus ipsi eorum Patroni ac defensores æternis, quàm splendidissimô etiam id fieret monumento, sepelirentur tenebris. De quo animo VESTRO cûm certus esse mihi videar, ausus sum, quales quales hasce pagellas, quibus Moscovitarum dogmata & consuetudines ex parte recensere, ex parte etiam refutate allaboravi, sub inclyti VESTRI nominis tutela publicæ commtttere luci

ci ac disquisitioni submittere solemni. Hoc intendens maximè, tum ut à Vestro splendore lucem aliquam, quam in se pagellæ hæ habent nullam, sibi fœnerentur, tum verò ut devotissimæ mentis pignus publicè apud VOS deponerem. VOBIS enim, Patroni Opt. Maximi; cumprimis, si à DEO discessero, debeo, quòd post parentum meorum, quæ nimis immatura mihi mors eripuit, beatum discessum, studia continuare aliquantisper potui, ac etiamnum possum. Cujus incomparabilis beneficii quoties recordor, recordor autem sæpissimè, toties devoto pectore DEUM veneror, uti VOS, Patriæ Patres benignissimi, studiorumque meorum Mæcenates magni, ingenti Reip. Vestræ incremento atque emolumento quàm diutissimè florentes præstet. Vigeat sub felicissimo Vestro Regimine incluta Urbs Revalia, floreat, ac quam contra omnes hostes incolumem hactenus ac virginem defendistis, porrò talis existat. VOS autem, Patroni ac Mæcenates enixè colendi, devotè humiliterque rogo atque obtestor, ut quo studia mea semel prosequi favore cœpistis, eodem prosequi nunquam desistatis. Ego invicem nunquam non futurus

V. V. Magnific. & Nob. Amplit.

De votissimus cultor & admirator

JOHANNES SCHVVABE, Rev. Liv.
Respondens.

PERZX.

PEREXIMIO ATQVE EGREGIE DOCTO,

DN. JOHANNI Schwaben/

REVALIA-LIVONO,

SS. Theol. Cultori indefeſſo,

IOH. ERNESTVS GERHARDVS, D.

S. P. D.

ID quod antiquitas olim, atteſtante ſacra pariter ac profanâ hiſtoriâ, religioſè factitabat, detracta nempe hoſtibus arma & ſpolia ab iisdem reportata Numini conſecrando, eademque in Templo reponendo: idem & mihi facere jam videris. Quando ſpiritualia Moſcovitarum, quos Patria Tua non ſemel hoſtes experta truculentiſſimos eſt, arma, ancipiti verbi divini gladio fracta atque obtruſa, Magnificis Nobiliſſimisque Patriæ Patribus, terrenis, ut ita loquar, Studiorum Tuorum Diis tutelaribus, devotâ mente offers, & in Mnemoſynes Templo religioſè ſuſpendis. Gratum, ni totus fallit, eris

hoc Illis anathema. Cumprimis ubi acceſſerit benevola commendatio Viri maximè Reverendi, Ampliſſimi atq; Excellentiſſimi, Dn. GABRIELIS ELVERINGII, Theologi clariſſimi ac de Eccleſiâ Chriſti egregiè meriti, Revalienſis Eccleſiæ Paſtoris primarii & Superattendentis vigilantiſſimi, nec non Conſiſtorii Eccleſiaſtici Adſeſſoris graviſſimi, Dn. Fautoris, Amici & in Chriſto Fratris mei honoratiſſimi. Quem præclarum Theologum ſicuti ob infucatum pietatis ac orthodoxæ religionis zelum, eruditionem Theologicam inſignem, aliasque Theologo dignas virtutes, (quas ipſe quidem, cùm Illum ac me, ex Galliis reducem, unus beati D. Dorſchei, in Academia Argentoratenſi convictus, arctiùs tamen ſtudiorum paritas conjungeret, penitus ac domi, liceat ita loqui, inſpexi) magni ſemper æſtimavi, nec quidquam æque in deſideriis habeo, quàm ut perpetim favore Ejus atque amicitiâ frui mihi detur: ita de patrocinio Ejusdem, quod pulcrè hactenus expertus es, haut immerito TIBI gratulor, DEVMque ſeriis veneror precibus, ut nunquam non tanti viri tutelâ ſtudia Tua egregia credantur digna. B. V. Jenæ è muſeo paterno, Ipſis KL. Octobr. Anni cIↃ IↃc LXV.

AVCTO-

AUCTORI
Eruditæ Diſputationis
hujus
Eruditiſſimo,
adfini plurimùm honorando.

SCHVVABIVS, Euſebies novus ignis, certa Camœnæ
Gloria, quàm pulchrâ tendit ad aſtra viâ!
Feſtinantiſſimo calamo adplaudit
GEORGIVS GOEZIVS,
Moral. Prof. Ordin.

Quà properantis abit per amœnos ambitus agros
ELYSTRAE, *Fautor Mellee, Nomen habes.*
Scilicet à verbo, quod dulci fluxit ab ore
Sacrô, quod Flatus gaudet habere ſacer.
Nomen habes alibi pulchrum quoque! JENA ſonora,
Felicis Mater Nominis ipſa probat.
Olim TE novit *civem natumque* beatæ
ESTHONJAE princeps urbs REVALEA, Parens.
Augeſcet nomen docto meletemate, NARVAM
Cum PEYBA excedens OESELIAMq; vagam.
Nec modo nomen erit, ſperans fortuna ſequetur;
Spondent *Salaides* REVALIDAEq; TIBI.
Jam frondet laurus, patriæ præſtantur honores,
Expectantque SUUM TE decorare. Vale!

Cognato ὁι ἀγαπνομῷ cum ſecundiſſimo
proſperitatis votô
ſcrib. feſtinantiſſimè
M. Michael Chriſtianus Ludovici,
Schol. Altenb Con-Rector.

Ad Eximium

DN. JOHANNEM Schwaben/

SS. Theol. Cultorem indefessum,

DE

Moscovitarum Religione

publicè disputaturum.

Dogmata Russorum tua vulgat lingua diserta
Evulget nomen Rusia magna Tuum!

Benevolentiæ testandæ causâ faciebat

ISAAC HEDRAEVS,

Cuprimonto-Svecus.

Ad

DN. RESPONDENTEM.

OMnia dum miscet bello Ruthenica turba,
(*a*) Moscoüam frigidam quæ bibit & Tanaim:
Scilicet imperium ut truculentum ultroque citroque
Etendat sic cum relligione sua.
Objicis huic ipsi, SCHVVABI, rutilantia flammis
Spicula divinis mente manuque potens.
Ostendisque simul nobis, caveamus ut ipsi
Obsidionem istam. Gratulor ergo tibi!

Ex sincero affectu scribebat

IOHANNES HARTMANNVS

Hartm. F. GRAMANNVS, Muscoviâ-Russus.

(a) *Moschova fluv. Moscoviam pertransiens, unde urbs & tota ferè Russia dicitur Moscovia.*

ГОСПОДИ ПОМИЛУЙ:

Prooemium.

LIcet haut meliùs Moſcovitæ de patriâ meâ, (quæ Livonia eſt, regio quondam, inſignis illius Geographi Philippi Cluverii Introduct. in Univ. Geograph lib. 14. c. 26. judicio, nobiliſſima atque amplisſima,) quàm infamis ille Heroſtratus de Epheſiis, quorum templum Dianæ conſecratum, & ob magnificentiam ſuam inter ſeptem orbis miracula relatum, temerario ac nefando auſu incendit, meriti ſint: conſtat enim, quot inauditæ propè tyrannidis non ſeculi ſolùm ſuperioris anno quinquageſimo octavo Magnus Moſcoviæ Dux, Johannes Baſilides, monſtrum illud hominis bellua truculentisſima, ediderit in Livonia exempla, quæ præ cæteris prolixè commemorat Paulus Oderbornius lib. 2. de dicti Tyranni Vita, verùm etiam quantam Tyrannidem iidem Moſcovitæ ſub magno Moſcoviæ Duce, Alexi Michaelovvitzio, An. ſeculi hujus ſexto ſupra quinquageſimum in Livonia exercuerint: dignique adeò, quorum nomen æterni ſilentii tenebris, ceu de Heroſtrati nomine Epheſii ſtatuebant, involvatur: ne dum ut paullò accuratius ſive in mores eorum, quibus à cæteris Barbaris proxime abeſſe ſolent, ſive in Religionem, quæ Chriſtiana quidem audit, ſed multis ſuperſtitionibus contaminata, inquiratur. Pretium tamen operæ facturum me quibusdam, quorum mihi auctoritas pro ratione ſufficit, viſum eſt, ſi de Moſcovitarum Eccleſia, h. e. religione & quæ eò ſpectant, diſquiſitionem more Academico inſtituero. Quod dum facere aggredior, an-

te omnia divinam pietatem ſeriis fatigo precibus, quò mentem ac calamum regere velit, ne quicquam proferam, niſi quod ad nominis Domini gloriam, Eccleſiæ reique literariæ commodum cedat. Lectorem verò qualis qualis hujus, quam jam nunc adorno, diſſertationis, enixè rogatum volo, quô mitiorem adhibeat cenſoriam virgulam, ſi fortè à veritatis ſemita, uti nihil humani à me homine alienum puto, aberrare me contigerit. perpendens, quòd ſicuti illis, qui per lubricam incedunt viam, facilis lapſus, ita idem hoc iis, qui de rebus populorum remotiorum aliquid concinnare ſuſcipiunt, alienisque videre oculis coguntur, & ſic lubricâ quandoq; nonnullorum ſcriptorum nituntur fide, evenire ſoleat. Dabo tamen operam ſedulo, ut non niſi Autores optimos, & quorum fides minùs ſubleſta cenſetur, ut plurimùm in teſtimonium vocem. Etenim & mihi Plautinum illud arridet. Truculent. Act. 2. ſc. 6.

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quàm auriti decem.
Qui audiunt, audita dicunt. qui vident, planè ſciunt.
& qui auritos teſtes accipit, is vanè, non ſanè accipit,

juxta Philonem Judæum. Etenim *acrior eſt oculorum, quàm aurium ſenſus.* judice Quintiliano. Quod etiam conſentaneum Philoſophorum principi, qui libro περὶ αἰσθήσεων καὶ αἰσθητῶν: ὅτι, ſcribit, ἡ ὄψις καθ' αὑτὴν, ἀκοὴ δὲ κατὰ συμβεβηκός.

Cæterùm, ne Lectorem fugiat, quos quantæq; fidei adhibuerim teſtes, ſciat, quod ſequentium cumprimis ſcriptorum teſtimoniis uſus fuerim. Primum locum meritò tribui poſſe cenſeo libello linguâ & literis Moſcoviticis impreſſo, ſymbolum fidei ac literarum ductus exhibenti, quem è Bibliotheca mihi ſuâ communicavit Excellentiſs. Dn. Præſes, Præceptor meus ætatē colendus. Licet verò locus, ubi libellus hic impreſſus ſit, non appareat, non improbabile tamen, quin in ipſo Moſcoviæ Ducatu, ipſaque fortè Magni Ducis regiâ excuſus ſit.

sit. Pervenit verò dictus liber, ut & in eo lectoris curiosi desiderio faciam satis, ex Bibliotheca Danielis Schvventeri, Professoris quondam Altdorffini, ad Excellentiss. Dn. Præsidem, ad illum verò è libraria supellectili Eliæ Hütteri, insignis illius Philologi Noribergensis, & Bibliorum Polyglottωn Auctoris, cujus nomen quoq; adhuc exhibet. Post libellum illum non parum commodi attulerunt *Pauli Oderbornii* libri tres de vitâ Johannis Basilidis, Magni Moscoviæ Ducis, An. 1586. in lucem publicam prolati. Quid verò dicto Autori in iis, quæ ad religionem Moscovitarum cognoscendam tribui debeat, patet ex verbis ejus, quæ dicti opusculi lit. e. 4. leguntur. Ita v. ibi: *Missâ nunc illicitæ ebrietatis censurâ, religionem Barbari Principis examinemus. Quid autem? numquid aliquem Russiæ Flaminem ab inferis excitabimus, quod Socrates apud Platonem facit, qui nobis patrios ritus exponat, Religionisq; Ruthenicæ summam conscribat? minime gentium. Non enim figmentis hominum, aut somniis ullis indigemus, quando eorum ceremonias & preces & ritus & pietatis cultum coràm cognoverimus.* Addere huic possem Jesuitam *Antonium Possevinum*, ut qui Anno 1581. a Pontifice R. & ipse missus in Moscoviam ad Magnum Ducem fuit, ad componendum bellum, quod satis acre inter Regem Poloniæ ac dictum Ducem tunc flagrabat. Sed cùm suspicio suboriri alicui possit, quòd partium studio ductus haut satis fideliter de Moscovitarum Religione Jesuita scribat, parciùs quidem illius testimonio uti volui. Adfuit præterea ad manus *Joh. Fabri*, Ferdinando primo Regi Romanorum quondam à Confessionibus, & postea Episcopi Viennensis, Dissertatio de Religione Moscovitarum, Tubingæ exarata An. 1525. Verùm cum non constet, num coràm Moscovitarum Religionem dictus Autor inspexerit, & idem insuper acerrimus Romano-Catholicæ Religionis defensor ac propugnator fuerit, penes lectorem esto, quantum fidei tribuere dicto modò Autori velit. Symbolum quoque hic conferent *Alexander Guagninus* Veronensis, Eques

auratus peditumque præfectus, in descriptione Sarmatiæ Europææ; item *Paulus Jovius*, Episc. Nucerinus Epist. ad Rufum Archi-Ep. Cosentinum, ac *Joh. Meletius* in Epistola ad Georgium Sabinum, qui Autor disertè in dictæ Epist. calce profitetur, *quòd ea, quæ narraverat, partim ipse viderit, partim ab hominibus fide dignis audiverit.* Tum verò & *Jacobus*, *Nobilis* quidam *Danus*, qui à Friderico II. Daniæ Rege Legatus ad Moscoviæ Ducem missus hodœporicon Ruthenicum adornavit, Francofurt. Anno 1608. impressum, nec non *Matthias de Michovv*, artium & Med. Doct. Tractatibus de duabus Sarmatiis Asiana & Europæa, excusis Augustæ Vindel. An. 1518. Præprimis verò in rem præsentem facere mihi visa est narratio Oderbornii suprà laudati de Russorum Religione, ritibus nuptiarum &c. ad Davidem Chytræum Anno 1581. scripta, in cujus principio hæc leguntur: *accipe erecta fronte, quod mittimus, & hoc tibi persuade, fieri posse, ut verba quidem non satis Romana scribam: res autem ipsas mendacii & vanitatis penitus fore expertes. Nihil enim ex aliis auditum, nihil ex aliorum libris haustum, nihilq; incognitum commemorabimus, sed quicquid oculis vidimus nostris, de illo contestabimur.* Ante omnes verò commemorandum laudandumque duxi Cl. V. Dn. *Adamum Olearium*, Sereniss. Holsatiæ Ducis Mathematicum Excell. ac Bibliothecarium curiosissimum: tanta namque hujus fides jure merito apud bonos quosque est, ut qui in dubium illam vocarit, viderim hactenus neminem. Et potuit sanè ille ipse optimè de Moscovitarum tum Religione tum moribus ac ritibus scribere, ut qui non modò linguæ Moscoviticæ peritiam habuit, sed & diversis temporibus ipsum quasi Magni Ducatus meditullium penetravit, summâque diligentia cuncta exploravit. Unde etiam vel solius hujus laudati Viri testimonium sufficere potuisset. Quò tamen curiosi Lectoris desiderio satisfaciam aliquo modo, non tædio erit pluribus testibus ea, quæ allaturus sum, roborare.

Cæterùm ut de Ordine quoque, quem in præsenti dissertatione servare alloborabo, constet, methodus commodissima

sima mihi visa illa est, quam aliàs nostrates Theologi in proponendis Locis Theologicis observare solent. Ritus præterea Ecclesiasticos, in quibus cumprimis curiosos Moscovitas videas, diligenter suis locis commemorabo. Priùs verò quàm de religionis capitibus ac ritibus Russorum Ecclesiasticis agam, placet pauca quædam in antecessum præmittere, de iis videlicet, quæ ad statum Russicæ Ecclesiæ meliùs cognoscendum facere videntur. Implorato ergò supremo Numine,

Esto

Discursus præliminaris primus.

De Moscovitis seu Russis.

SUMMARIUM.

UNde Rutheni dicti *Russi?* unde iidem *Moscovitæ?* Urbis *Moscovv* amplitudo. In ea describenda à quibusdam erratum. An Ruthenorum nonnulli Romano-Catholicam religionem amplexi fuerint? Et quo tempore hoc factum. De his Russis in præsentiarum nobis sermo non est: sed de illis, qui sub Dominio Magni Moscoviæ Ducis vivunt. Nec tamen omnes, qui sub illius dominatu degunt, Moscoviticæ religioni addicti sunt.

Moscovitas, de quorum Ecclesia jam nunc acturi sumus, *Ruthenos* sive *Russos* dictos olim fuisse, atque etiamnum eo venire nomine, notum in vulgus est. Observant autem Viri docti, appellationem hanc originem trahere à provincia quadam *Russia*, quæ *Roxolania* quondam dicebatur. Quemadmodum etiam Plinius lib. 3. Hist. Naturalis c. 12. nec non Raphael Maffeus Volaterranus lib. 7. Urban. Comment. f. 74. Roxolanorum populorum mentionem faciunt, eosque ad latus Maeotidis paludis collocant, in Sarmatia Europæa. Cùm vero literæ X asperitas scriptoribus pronunciatu esset molesta, factum, ut pro Roxolanis populos illos nominarint Rossolanos, ex quo contracto ortum *Rossi*, ac tandem *Russi*. Moscovitæ vero iidem populi magis usitatè hodiè appellantur, &

quidem non à משך traxit, arcu scilicet, quod Val. Schindlerus in Lexico Pentaglotto p. 1046. ac Barthol. Mayerus, Philol. sacræ part. 2. p. 302. persuasum sibi habent: nec etiam à *Mesech*, filio Japheti, quod eidem Schindlero, nec non Ariæ Montano in appar. Bibl. Regiorum tr. Phaleg, aliisque multis placet: sed ab urbis Magni Ducis regia, in qua etiam arcem magnæ tum magnificentiæ tum capacitatis ille habet. Urbi verò nomen cessit à flumine eam intersecante, non adeò quidem magno illo, ceu reliqua, quibus Russia dives est (Mosque,) sed satis tamen hodie nobili. De *urbis* vero *Moskvva amplitudine* nescio, num fidem mereantur ea, quæ Philippus Cluverius, Geographorum recentiorum facilè princeps lib. 4. Introduct. Geograph. c. 28. de ea memorat, ita enim d. l. habet: *Caput Imperii est Moskvva, urbs supra modum atq; fidem magna, ut quæ quadraginta unum & quingenta ædificiorum millia complectitur.* Vixit verò Cluverius circa seculi hujus initium. Ab hâc narratione nimis quantum abit narratio Antonii Possevini Iesuitæ, qui Gregorii XIII. nomine legatus ad Moscoviæ Ducem missus in Diatribe de Moscovia haut procul ab initio scribit: *Id de Mosci Regiâ, quæ Moscua est, certum est, triginta hominum millia, pueris sexuq; utroq; numerato, hoc tempore* (scripsit hæc Possevinus anno seculi superioris 82:) *non censeri*, & addit: *nam quantacunq; civitatis species adeunti incurrit in oculos, accedenti tamen propiùs* (*ne dicam postea ingresso*) ipsæ domus multum terræ spatium occupant, platearumque ac non unius fori amplitudo ambitusque ipse sacrarum ædium certiorem veritatis fidem efficiunt. Concludit: Et erat sanè eodem hoc principe augustior ac numerosior Moscua, sed anno seculi præsentis septuagesimo à Tartaris conremata, incolis plerisque incendio absumptis, res omnis in angustiores terminos adducta est. Extant vestigia majoris circuitus, ut qui octo vel novem fortasis fuisset, jam vix quinque millia passuum impleat. Clemens Adamus in descriptione Anglorum ad Moscovitas, ubi de

Moscua

Moſcua urbe Regia agit, *eam urbis amplitudinem eſſe*, Anglos qui illic fuerant, affirmare ſcribit, *ut Londinum cum ſuburbio, magnitudine æquet.* Propiùs etiam veritati accedit Matthias de Miechovv, artium ac medicinæ Doctor, Canonicus Cracovienſis, qui vixit ſuperioris ſeculi initio. Hic tract. de duobus Sarmatiis lib. 2. tract. 2. cap. 1. refert, quòd Moſcua duplo major ſit Florentia Thuſciæ, aut bis major, quàm Praga Bohemiæ. addit tamen, quòd dicta urbs plurimas habeat plateas, & ubi una platea finitur, non ſtatim altera incipiat, ſed campus mediet. Inter domos quoque ſepes medient: ita ut domus ſibi invicem non cohæreant: Quod urbs Moſcavv duplo major Pragâ ſit, apud Georgium quoque Bruin Agripp. tom. 2. præcip. urbium legitur. Qui ipſe etiam commemorat, *quòd Principis juſſu ædes aliquando conſcriptæ numerum 41500. ſuperarint.* ſed vaſtata urbs igneque abſumpta fuit tum à Tartaris Crimæis ſeu Præcopitis Anno 1571. tum à Polonis Anno 1611. ceu referunt Chytræus in Saxonia, Helmoldus in Chron. Slavon. Metteranus Hiſtor. Belg. libr. 4. ad Annum 1572. ubi etiam, quod penè ſuprà fidem eſt, refert, quòd in illa Tartarorum irruptione 7 vel 800000. Moſcovitarum in una urbe Moſcovia morte violenta perierint. Dn. Olearius, qui diverſis temporibus, ac poſtremò anno hujus ſeculi 47. eam perluſtravit, memorat p. 144. Itin. quòd etiamnum 40000. ædificia in eâ numerentur. Idem etiam refert, quòd eadem crebris incendiis vexetur, ita quidem, ut paulo ante, quàm legati Sereniſſimi Ducis Holſatiæ illuc venerant, tertia ejus pars incendio fuerit abſumpta, quod & quadriennio antè factum. Cum igitur conſentiens ferè Autorum ſententia ſit, quòd ædium numerus quinquaginta millia non exceſſerit, etiam pacis tempore, videtur ſanè Cluverus, qui *quadraginta unum & quingenta ædificiorum millia* in urbe Moskovv ponit, Bruinium quidem hâc in re conſuluiſſe, nec ſatis tamen accuratè inſpexiſſe, adeoque cùm dicere debuiſſet, *quadraginta unum ædificio-*

dificiorum millia, & quingenta, eo quo diximus posuisse modo, quem numerum certè non aliter quis nisi de 541000. intelligere potest. Sed hæc ὡς ὸν παροδῳ tetigisse sufficit. Cæterùm ut ut Rutheni non solùm per eas, quæ Magni Moscoviæ Ducis imperio subjectæ sunt, provincias longè latissimèque fuerint sparsi, verum etiam plurimi in Poloniæ Regis ditionibus, cumprimis in Magno Lithuaniæ Ducatu vixerint: effectum tamen, sollicita, ut videtur Papicolarum cura, ut posteriores isti Rutheni, in Regis puta Poloniæ provinciis degentes, Ao. superioris seculi quinto ac nonagesimo cum Romanâ Ecclesia, (quam cæteri Rutheni, in Moscovia sive Russia alba degentes, cane pejus & angue fugiunt, ceu postea memorabimus) Autoribus Michaele Metropolita Kiovienſi, Halicienſi, & totius Rusiæ (intellige rubræ,) item Ipotione protothronio, Episcopo Vulodomirienſi Brestenſique ac aliis nonnullis, sub Poloniæ Rege in Rusia nigra sive rubra & Podolia degentibus Episcopis, communicare constituerint. Literas dicti Archi-Episcopi Kiovenſis ac aliorum nonnullorum Episcoporum Ruthenorum ad Clementem Papam hujus nominis IIX. super eorum cum Ecclesia Romana unione, datas die 12. Junii Ao. M D XCV. Latinè versas exhibet Cardinalis Baronius circa finem tomi septimi Analium. Ubi etiam commemorat, quomodo legati illi Rutheni, postquam Romam venerunt & ad P. R. adducti, à longè adhuc ipsum conspicati, venerationis ergò in terram se prostraverint, ac surgere jussi & thronum Pontificis accedentes ad ejusdem pedes rursum cultu humillimo & reverentia strati, eos deosculati fuerint. Qui ipsi etiam Episcopi in fidei profesione ac forma, *Græcis ad unitatem Romanæ Ecclesiæ redeuntibus*, à Pontifice Romano puta, ut verba confesionis habent, *præscripta*, Pontificem Romanum summum Pastorem universalis Ecclesiæ proclamant ac B. Petri Principis, Apostolorum Successorem & Christi verum Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput agnoscunt, insuper reci-

pere

pere se profitentur ea omnia, quæ synodus Tridentina profitenda ac recipienda proposuit. Ipse verò Baronius totam narrationem de Ruthenorum cum Ecclesia Romana unione, in qua mirè sibi placet, obsignat numismatis, (cujusmodi aurea & argentea in rei præclarè gestæ signum cusa fuisse refert,) delineatione, uni ejus lateri impressa est effigies Clementis VIII. Pontif. Max. A. V. alteri verò idem Pontifex throno Pontificio insidens, prostrato ante eum quodam Rutheno, additaque inscriptione: *Ruthenis receptis* clɔ Iɔ XCVI. Notandum verò, quòd licet Papicolæ in illa Ruthenorum, sub Poloniæ Regis dominio viventium, cum Ecclesia Rom. unione ac communione vehementer sibi gratulentur; horum tamen si cum cæteris Ruthenis, qui sub Magni Moscoviæ Ducis Imperio in Russia alba degunt, & etiamnum Pontificem R. odio plus quàm Vatiniano prosequuntur, conferantur, exiguus numerus sit. Memorat præterea Edoardus Brerevvodus in Scrutinio Religionum c. 9. *quòd licet Rutheni illi Pontifici Romano se subjecerint* (coacti procul ambiguo, vel splendidis promissis adducti à Poloniæ Rege, ut cujus Dominio illi subjecti) *id tamen fecerint salvâ religione Græcâ & ritibus, ut ex articulis, quæ apud Thomam à Iesu de Conversi. Gent. lib. 6. pag. 3. c. 1. p. 328. pateat, ut ita non tam à religione Græca defeciſſe quàm Jurisdictionem Constantinopolitani Patriarchæ excussisse dicenti sunt.* Cùm Vilnæ triginta habeant templa, testibus Oderbornio in Epistolâ ad D. Dav. Chytræum scriptâ de Russorum religione, ac Sigismundo Barone Herbensteinio, adeoque plura, quàm ipsi Pontificii. Maxima igitur Russorum pars Græcam religionem amplectitur, Dominatum verò Pontificis Romani aversatur, ac detestatur. Atque in horum religionem ritusque Ecclesiasticos jam nunc inquirimus. Neque tamen hoc asserere sustinemus, quod omnes Magni Moscoviæ Ducis subditi Græcam amplectantur Religionem, ritusque sequantur Moscovitarum Ecclesiarum. Imo constat, quòd præter Lutheranos ac Calvinia-

vinianos (quibus liberum in meditullio quasi Dominatus Moscovitici, hoc est, prope urbem Moscavv, religionis exercitium permittitur) Armenii, Turcæ, Persæ, Pagani, Tartari, & hi quidem Mohammadanæ addicti religioni, sub Moscoviæ Ducis Imperio tolerentur, memorant. Dn. Oleario in Itin. Mosc. Persico p. 317. & Oderborn. epist. ad Davidem Chytræum modò memoratâ. Quando in præsens de Moscovitica Ecclesi agimus, illam solùm intelligimus, quæ Græcorum dogmata sequitur, quamque Magnus Czar, Patriarcha, aliique Regni Moscovitici Proceres ac incolæ plerique amplectuntur. Priùs v. quàm de his ulteriùs agamus, monendum adhuc ducimus, quòd Cardinalis Baronius Append. ad t. 7. Annal. p. 816. glorietur, quòd Russorum Regnum Romanæ sit donatum Ecclesiæ, à qua illud Russorum Rex Demetrius voluerit accepisse. In quam rem nobile extare monumentum scribit in Epistola Gregorii Papæ VII. l. 2. ep. 74. quam integram etiam, *in tantæ*, ut loquitur Cardinalis, *rei fidem diclarandam* exhibet. Sed quàm vana gloriatio hæc sit, prolixiùs ostendit Dn. D. Siricius in Dissertatione de de Relig. Moscovit. cap. 4. pag. 19. seqq. ad quam lectorem remittimus, neq; enim actum agere placet. Quàm falsa etiam sint verba Baronii, ibidem scribentis *quòd Ruthenici populi erga Roman. Ecclesiam propensio non mediocris perseveraverit, quæ Græcis etiam æmulationem moverit: adeò, ut omni semper studio laborarint, eosdem Ruthenos ab ipsâ revocare, cùm facti sint ipsi schismatici.* & pergit: *Cæterùm etsi ad tempus aliquod obtorto collo ab eisdem in errorem abducti sunt, in matrem* (intelligit Ecclesiam Romanam, cui Anno 1074. Russorum Regnum donatum fuisse fingit.) *semper respicere non desierunt, ut iterum in sinum maternum accurrerent, eodemq; foveri, semper optarent.* Hoc ipsum verò probaturus Cardinalis provocat ad Concilium Florendinum, in quo Archi-Episcopus Isidorus in totius Ecclesiæ theatrò una cum Bessarione Trapezuntio Nicæno Archi Episcopo Græcorum

rum omnium cum Latinis Concordiæ Autor extiterit : cujus rei gratia meruerit quoque unà cum eodem memorato Collega in S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ordinem cooptari. Fatemur sanè, quod dicti Græcorum Archi-Episcopi, Cardinalitio honore à P. R. sublimati, unionem Ecclesiæ Græcæ cum Latina tentarint, sed reclamantibus non solùm Collegis, qui juxta cum illis Concilio Florentino interfuerunt ; verùm etiam cæteris, qui domi manserunt Græcarum Ecclesiarum Episcopis ac ministris, ceu ex Autorib. fide dignis refert D. Hornbecius in summa Controv. lib. XI. pag. 612. In specie verò de Isidoro illo, Russiæ Metropolitano Sgismundus Baro Herbensteinius ac Guagninus testantur, *quòd reversus in Patriam* ex dicto Concilio Florentino, *captus, omnibus bonis spoliatus, atq; in carcerem conjectus fuerit*, eò videlicet, quoniam Latinis cesserat-Tanta nempe Russicarum Ecclesiarum in Romanam Ecclesiam propensio semper fuit!

Discursus Præliminaris secundus

An Moscovitæ sint Christiani?

POntificiorum si standum judicio, affirmativam amplecti sententiam, non temerè fortè aliquis hic hæsitarit. Etenim cùm juxta eosdem (vide Cardinalem Bellarminum lib. 3. de Ecclesia cap. 5. in respons: ad 2.) *Nemo possit, etiamsi velit subesse Christo & communicare cum Ecclesia cœlesti, qui non subest Pontifici Romano;* & verò Moscovitæ Pontificem Romanum non solum Episcopum Oecumenicum esse, minimè admittant : verùm etiam ne quidem verum Pastorem illum esse affirment, (ceu ex illis, quæ Johannes Basilides Jesuitæ Possevino, urgenti ipsum, ut abjectâ Græcorum religione, Pontificem Romanum coleret, reposuit, videre est:) *imò nulli hominum infensiores sint, quàm Romano Pontifici, ut & ipsius assecla*, referentibus Sigismundo Barone ab Herbenstein lib. de rebus Moscoviticis

viticis, ut & Adamô Oleariô in Descript. Itin. Pers. pag. 317. 320. seqq ultrò certè ex Pontificiorum sententiâ sequi videtur, quòd Moscovitæ nec Christo subsint, nec cum Ecclesiâ cœlesti communicent, adeoque nec Christiani sint. Aſt verò cùm hypothesis illa Pontificiorum prorsus falsa sit ac erronea, quippe secundùm quam non modò Ecclesiæ Armeniacæ, Græcæ atque Æthiopicæ, quarum hæ sub Imperio Abyssinensium Regis, illæ verò sub Turcico ac Moscovitico dominatu, istæ denique in Persarum Sophi regno longè latissimèq; sparguntur; verûm etiam omnes illæ, quæ in florentissimis Europæ regnis & provinciis, putà in Germaniâ, Suecià, Daniâ, Angliâ, Scotiâ, Poloniâ, Galliis, Belgiô, Helvetia &c. Pontificum Romanorum tyrannidi se subtraxerunt, Ecclesiæ nomine indignæ essent, nec qui in illis vivunt, salutandi Christiani, quod absonum, nec tolerandum. proinde missâ jam nunc hypothesi illâ falsissimâ, dubitare tamen fortè nihilominus quis posset, num Moscovitæ habendi pro Christianis sint; cùm contrarium suadere posset partim tyrannicum illorum ingenium & horrenda facinora, quorum passim Historici meminerunt. Quemadmodum ante novennium hoc in irruptione in patriam meam dulcissimam Livoniam ac urbis florentissimæ Rigæ obsidione benè multa ediderunt truculenti ac plus ferè quàm Barbarici ingenii specimina, quando innoxios pueros de arboribus suspenderunt, juvenes in durissimam servitutem abduxerunt, fœmellis ubera resecarunt, ac maritos postea, ut illa manducarent, coegerunt, multos miseros ac vagabundos homines in frusta conciderunt, & membra palpantia hinc inde dispersérunt, atque alia perpetrarunt, quæ vel commemorare, animus horret. Cæterùm cum hæc talia minimè ab omnibus Moscovitis perpetrata sint, sed ab aliquibus saltim sceleratis nebulonibus, ac fortè etiam ab aliis improbata; & notum insuper ex Hispanorum in Indias irruptione sit, quòd haut minùs sævos Hispanos miseræ

illæ

illæ gentes expertæ sint, ut taceam, quòd in superiori bello Germanico gemella exempla memoriæ occurrant. Præterea cùm quorundam in Ecclesia aliqua vitia ac scelera non toti imputari Ecclesiæ jure possint, ac insuper in Ecclesia multi reperiantur infantes, quibus talia facinora attribui nequeunt; hautquaquam ex sceleratâ quorundam Moscovitarum vitâ de ipsâ Moscovitarum religione ferendum judicium est. Ex doctrinâ seu publicâ professione ac sacramentis id fieri debet. Quemadmodum enim ex Adami costâ formata Eva, Adami sponsa fuit: ita per sacramenta, (per aquam & sanguinem, quæ ex Christi latere profluxerunt, præfigurata, uti communiter primitivæ Ecclesiæ Dd. statuunt, vide Chrysostomum, Cyrillum, Theophylactum in c. 19. Johannis, Ambrosium lib. 10. in Lucam, Augustinum l. 2. de symb. c. 6. lib. 5. de Civ. D. c. 26. & alibi. Damascenum lib. 4. de O. F. c. 10.) ædificatur Ecclesia, grata illa Christi sponsa. Adde verbum divinitùs revelatum, idemque sacris ac divinis literis comprehensum, in quo Christi vox sonat. Hanc Christi Pastoris summi vocem qui audit, Christi ovis est, adeoque pro Christiano jure habendus. Judicium igitur de præsenti quæstione ferre qui vult, illum necesse est ex hujusmodi id principiis formet. Atque viæ huic pridem institisse quoque video Theologum Svecicum, Johannem Botvidum, SS. Theolog. Doct. & Potentissimi quondam Svecorum, Gothorum, ac Vandalorum Regis, Gustavi Adolphi, glorioſissimæ memoriæ Concionatorem aulicum, in thesibus de quæstione: Utrum Moscovitæ sint Christiani? jussu prædictæ R. Maj. in Academ. Upsalienſi ad publicam disputationem Anno 1620. proposita, Holmiæ verò, eodem Anno excusis; tùm quoque Mag. Henricum Stahlium Superint. Narvæ in Livonia in disp. ejusd. Argumenti. Ex quo igitur tum ex Historicis fide dignis, tum ex eorum, qui cum Moscovitis versati sunt, quos ipsemet vidi atque differentes audivi, narratione constat, quòd Moscovitæ

Sacramentum, tum initiationis, puta Baptismum, tum confirmationis, nempe S. Eucharistiam admittant, & quidem ita, ut pro regenerationis medio illud habeant, & in nomine Patris, Filii ac Spiritus Sancti administrent, mysterium quoque Sacro Sanctæ Trinitatis agnoscant, Verbum quoque Dei, sacris divinisq; utriusque fœderis tabulis comprehensum pro fidei cynosura habeant. (Quamvis interim inficias non eamus, quòd multas ridiculas ceremonias admisceant, ac traditionibus humanis nimium tribuant) negari certè minimè vel potest vel debet, quòd & ipsi habendi pro Christianis sint. Illud verò ex iis, quæ deinceps in consideratione singulorum fidei articulorum adducentur, ὀφθαλμοφανεῶς patebit. Neque tamen hoc affirmare velimus, quòd Moscovitæ, ex quo semel Christo nomen dederant, semper constantes in Christiana Religione permanserint. Ipsimet sanè in suis Annalibus, (teste Alexandro Guagnino in descript. rerum Sarmatiæ Europæ, ubi de Religione Moscovitarum agit, haut procul ab initio) fatentur, *quòd jamdudum Apostolorum tempore S. Andreas Apostolus ex Græcia per Pontum Euxinum ad ostia Boryſthenis fluvii appulerit, & inde ad Kioviam, tum temporis Metropolin Russiæ adverso fluvio pervenerit, atque ibi omnem terram Russiæ benedixerit, baptizarit, signumq; olim illic constituerit, ex Kiovia verò pervenerit inde in Novogrodiam magnam.* Matthias verò de Miechow tr. de duabus Sarmatiis lib. 2. tr. 1. c. 1. scribit, *quod Ruthenі inter Sanctos camprimis colant Thaddæum Apostolum, adserentes quòd eos converterit, & fidem Christi docuerit, deinde Bartholomæum, itidem Apostolum, per quem multos articulos de fide se accepisse dicunt.* Quicquid rei hujus sit, sanè felicitatem hanc non adeò diuturnam Majoribus suis fuisse, Moscovitæ conqueruntur, quippe cum ob Tartarorum aliorumque Paganorum frequentes irruptiones ac bellicas vastationes, veræ religionis jacturam Majores eorum iterum fecerint, illiusque loco Paganismus & Idololatria irrepserint, usque ad tempora Volodomiri,

domiri, seculo à Christo nato decimo, qui felici successu totam Russiam, imò universam propè Sarmatiam sibi subjecit. Quam Volodomiri potentiam cùm vicini Principes ac Reges Christiani admirarentur, atque inde non amicitiam solùm ejus quærerent, verùm etiam ad Christianismum amplectendum, illum instigarent: ipse ille missis hinc inde per Christianam Ecclesiam legatis exploravit, quænam verè esset religio Christiana. Cum vero præprimis Græcorum religio, utpote quam ante hac quoque in Russia floruisse cognoverat, arrideret, hanc amplexus est. Scribit quoque Iohannes Pappus in Epit. Hist. Eccles. p. 77. *quòd Uladomirus* (ita enim Volodomirum vocat) *in uxorem duxerit Annam Constantinopolitani Imperatoris sororem, eiq; Constantinopoli baptizato Basilii nomen inditum fuerit:* Adjicit insuper, *quòd fuerit Nepos Olhæ seu Helenæ Russorum Reginæ, ante Annos 33 baptizatæ quæ verò tum teste Zonara, Christianismum Russiæ inferre non potuerit.* Joh. Curopalates scriptor Græcus commemorat, quod miraculo quoque insigni in fide Christianâ Russi fuerint confirmati. Cùm enim Archi Episcopus ab Imperatore Græco Basilio in Russiam Missus Evangelium de Christo prædicaret & miracula Dei extolleret, cumprimis illud de tribus viris ex fornace Babylonica liberatis, Russi verò ei objecissent, tum se credituros, si itidem talia viderent miracula, tunc Episcopus in memoriam sibi revocans promissum Christi: *quicquid petieritis in nomine meo, si fidem habueritis, accipietis:* regessit; quòd si seriò ad Christum convertere se velint, petere quid debeant. Cumque rogassent, ut librum Evangelii de Christo agentem in ignem mitterent, adjicientes, tum se credituros, quod Christus sit verus DEVS, si liber iste in igne æquè ac viri in fornace, sartus permaneret. Quod cum invocato supremo numine Archi-Episcopus effectui dedisset, Russi Christianam amplexi religionem sunt. Ita Curopalates. Quo cum etiam hic faciunt Zonaras tom. 3. p. 139. seqq. Cedrenus Compend. Hist. pag. 589.

Monet

Monet verò Dominus Olearius Itin. Perſ. p. 278. quod dicti autores in eo errent, quando Converſionem hanc Volodomiri Magni Ruſſiæ Ducis ſub Baſilio Macedone factam cenſent ſeculo nono, quos etiam in errore hoc ſequatur Cardinalis Baronius tom. 7. Annal. p. 253. (Imo idem Cardinalis Append. tom. 7. Annal. p. 815. ſententiam hanc non ſolùm amplectitur, ſed eandem quoque, rejectâ alterâ, defendit.) Addit verò laudatus Olearius, conſtare ex Chronico Ruſſorum aliisque fide dignis Hiſtoricis, uti Cromero de rebus Polonic. lib. 3. p. 435. Guagnino in Sarm. Europ. in Epilogo, quòd contigerit hoc ſeculo X. circa finem, cùm penes Baſilium & Conſtantinum in Oriente, Ottonem verò tertium in Occidente ſumma rerum eſſet. Cùm igitur Græcis Religionem Chriſtianam in Ruſſicam propagatam Moſcovitæ acceptam ferant, memorat Joh. Faber de Religione Moſcovitarum, quod Ruthenorum Imperator non immemor, quòd olim Archi-Epiſcopus Patriarcham Conſtantinopolitanum, antequam hic à Mohammedica tyrannide ſuppreſſus eſſet, ſuperiorem recognoverit, hodienum adhuc, pietatis ejusmodi diligens cuſtos, quotannis Conſtantinopolitano Patriarchæ, quò vivere & Ægyptiacæ ſervitutis finem æquâ mente expectare poſſit, eleemoſynam mittere ſoleat. Dominus Olearius d. l. refert, quòd licet proprium hodiè Rutheni habeant Patriarcham, nec amplius ceu initio, à Conſtantinopolitano quippe à quò olim ille confirmabatur, dependeant, Monachi tamen Græci Conſtantinopolitani Hieroſolymis degentes, ſubinde in Moſcoviam veniant, ac reliquias Sanctorum, vel ſimile quid afferentes magnam pecuniæ vim inde auferant. Id quod confirmat exemplo Patriarchæ Hieroſolimitani, nomine Poiſie, qui Anno 1649. Moskwam veniens, ac terræ aliquid de ſepulchro Domini, nec non aquam ex Jordane afferens, non ſolùm ſplendidè à Czare fuerit exceptus, ſed & ultra 50000. Ducatus muneris loco retulerit, quibus tamen in reditu à prædatoribus fuerit

rit ſpoliatus. Sed de his ſatis. Illud unicum adhuc circa ventilationem præſentis quæſtionis addendum, quòd Dn. Olearius deſtinguendum hic putet, inter *fidem quæ creditur*, & *fidem quâ creditur*. Quod illam attinet, putat, quòd apud Moſcovitas omninò ſit Chriſtiana, quòd verò hanc fidem, quâ creditur, ſpectat, ſuſpectam eam ſibi apud Moſcovitas eſſe ſcribit, cùm per facta ſe non prodat: ſiquidem præter Chriſtum etiam Evangeliſtis, Angelis, aliisque Sanctis, quos non ſolùm interceſſores, ſed & Mediatores conſtituant, cultum honoremque ſoli Deo debitum exhibeant. Fidem prætereâ bonis operibus non probent: illis verò bonis operibus, quæ in extruendis templis & monaſteriis exſerunt, plus æquo tribuant.

Diſcurſus præliminaris tertius.

Quibus literis ac qua lingua Moſcovitæ utantur? item cum quibus linguis Moſcovitica cognationem habeat?

QVemadmodum Moſcovitæ Chriſtianam religionem, ceu hactenus oſtenſum, à Græcis ſe accepiſſe agnoſcunt, ſeq; propterea *genuinos Græcos Chriſtianos*, **rechte Griechiſche Chriſten/** (ceu ex eorum Paſſaportâ, ut ita loquar, ſive litteris ſalvi conductus videre eſt, quas mortuis ſuis dant, prout tales exhibet in Itin. Perſ. Olearius pag. 315.) nominant: ita quoque iisdem ferè cum his utuntur litterarum figuris. In tantum quidem, ut ſi quis Moſcoviticos libros typis deſcriptos primo intuito perluſtret, propè juret, quòd linguæ Græcæ peritus non magno labore intelligere eos poſſit. Verùm ubi Græcæ quis linguæ peritus rem examinaverit, deprehendet, quòd prætes literarum dictus nihilampliùs, quantum ad ipſam linguam, hîc Moſcovitæ cum Græcis commune habeant, ſed adeò ab his ſermo eorum diſcrepet, ut vix ab aliis magis. Neque tamen

dissimulandum, quòd & literas quasdam Moscovitæ peculiares sive proprias habeant, nisi malis sive à Coptica vel Ægyptiaca, sive ab Illyricâ vel Serviana scriptura, sive quod Dn. Olearius placet, à Slavonibus mutuò acceptas, quippe ad horum script. proximè accedens. Sic apud Moscovitas Ѣ *jat* sonat, idem & apud Illyricos sive Servianos. Щ Moscovitis Sch est, idem quoque Servianis, apud Coptos v. Ш. Ж apud Moscovitas notat *Sh*, idem etiam apud Illyricos. Щ apud Moscovitas est *Sch*, apud Illyricos *Sc*. Ipsa verò Moscovitarum lingua non minùs quàm Bohemica atque Polonica, Slavonicæ linguæ dialectus est, (nisi fortè ipsa lingua Slavonica, externis tamen linguis adeò confusa, vix ut Slavus & Moscovita se invicem intelligant, scribente Sigismundo L. B. ab Herbenstein in rerum Moscov. Comment.) prout non solùm pridem à clarissimis viris, (Videantur Matthæus Dresserus Millen. Sexto Isag. Historiæ p. 644. Nobil. Christianus Ravius, Linguarum Orientalium in Regia Upsaliensi Prof. Publicus in Orthogr. & Analogiæ Ebraicæ delineatione, statim ab initio, Joh. Lasicius Polonus in Theolog. Moscovitica,) monitum: verùm etiam dictarum linguarum collatio haut obscurè docet. Etenim sicuti Bohemis *Chvvala*, Polonis *Slavva*, gloriam notat, ita apud Moscovitas СЛАВА *Slaba*. Similiter Bohemis *Otce*, Polonis *Oyze*, Slavonis *ozha* & Moscovitis ѠТЕ *otze* significat patrem. sic Slavonis *Krailestvu* notat regnum, Polonis *Krolestvvo*, Bohemis *Kralovvstvvy*, Moscovitis КРАЛЕСТВО. *Kralestvo*. & sic in aliis haut paucis. Ac claris testatur quoque verbis Dn. Olearius in Itiner. Pers. p. 280. *tantam esse linguæ Moscovitica cum Slavonicâ & Polonicâ cognationem, ut si quis unam probè intellexerit, alteram quoque percipere facilè possit.* Non videtur autem literarum cultor operæ facturus pretium, ut linguæ Slavonicæ, hujusque Dialectis, puta linguis Moscovitarum, Bohemorum ac Polonorum, addiscendis multum temporis impendat. Etenim licet illæ ipsæ longis latissimisque

spaciis,

spaciis, puta quibus non Moscoviæ solùm Ducis dominatus, (hic verò ampliſſimus est, quippe in longitudine 380. milliaria Germanica, in latitudine verò 300. milliaria Germanica se extendens) sed & Poloniæ ac Bohemiæ regna aliæque plures provinciæ orbem terrarum pervagentur: plerique tamen dictorum regnorum ac provinciarum incolæ, Moscoviæ cumprimis seu Russiæ albæ, jejunantes à bonis literis sunt. Adde, quòd haut multum typographiæ apud Russos ferveant, Non desunt quidem Moscovitis, uti etiam Dn. Olearius in Itinerario Persico pag. 174. memorat, typographiæ, in quibus libri propriâ eorum linguâ & typis describuntur, quia tamen non satis artis typographicæ gnari ipsi sunt, evenit, ut parum feliciter operæ procedant, adeoque satis carè libros etiam typis descriptos divendant. Contigit tamen mihi non solùm in Patriâ meâ dulcisimâ, verùm etiam in incluta hâc Salanâ tum apud Excellentiss. Dominum Præsidem, Præceptorem meum meritissimum, tùm apud Excellentiss. Dominum Bosium, Hist. P. P. libros Rusicâ linguâ & literis Moscoviticis excusos oculis usurpare. Sed propiùs ad Moscoviticæ religionis considerationem accessum facio. Esto itaque

CAPUT I.

De Sacra Scriptura.

SUMMARIUM.

MOscovitæ Sacras utriusque fœderis tabulas habent, sed minùs fideliter translatas, cùm Vet. Test. versio ex LXX. Interpretum translatione, N. autem T. ex vulgatâ Versione Latinâ adornatæ sint. Quis Versionis Slavonicæ Autor? Utut Mosc. integra habeant Biblia, non tamen integra templis inrunt, & quæ ejus rei causa? quosnam præterea alios libros linguâ suâ exaratos Moscovitæ habeant? Cùm principium cognoscendi Theologiæ Scriptura Sacra sit, quæ Bibliorum hodiè venit nomine, notandum ante omnia est, quòd sacras literas seu Sacram Scripturam Moscovitæ habeant.

Memorat D. Hottingerus Dissert. Theol. 3. thes. LXVII. p. 243. *in Scaligeri Legato* (quod rariora scripta complectitur, instructissimæ Bibliothecæ Leidensi dono data) *extare inter alia Psalterium Russicum, item Novum Testamentum Russicum typis descriptum.* Psalterium quoque Davidicum Moscovitică linguâ apud Ostorocenses impressum Chytræo quondam dono dedit Oderbornius, vid. epist. de Russorum Religione qui ipse etiam testatur, quod habeant Moscovitæ N. Test. Apostolorum res gestas & omnes Epistolas Paulinas. De integris verò Bibliis apud Moscovitas extantibus, & quidem typis descriptis linguâ Slavonicâ, quâ & cæteros libros, tùm Politicos tùm Ecclesiasticos communiter descriptos habeant, edocet nos sæpiùs laudatus, nunquam satis laudandus Dominus Olearius d. l. p. 174. qui ibidem etiam observat, *quòd Vet. Testamentum juxta LXX. Interpret. versionem adornatum sit; Novum autem Testamentum juxta versionem Latinam.* Cæterùm licet versionis τῶν LXXII. primitivæ Ecclesiæ Doctores nonnulli plurimùm tribuant, sicut Augustin. l. 15. de Civ. D. c. 23. scribere non dubitat, *quòd illi ipsi Prophetico Spiritu V. T. verterint:* quemadmodum etiam Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei c. 6. scribit: *Quod LXXII. Interpp. peculiari modo Spiritum S. adsistentem habuerint, ne qua in re errarent, ut non tam interpretes quàm Prophetæ esse videantur.* Quid, quòd non ita pridem Joh. Morinus lib. 1. Exercit. 6. cap. 1. p. 183. in hæc eruperit verba: *Certum est, antiquam illam LXX. translationem authenticam fuisse: aliàs enim nullo verbo DEI authentico quingentis annis usa esset universa Ecclesia, nullo Apostoli Apostolorum q. successores, qui aliâ translatione nec ipsi usi sunt, nec aliam Ecclesiis DEI utendam tradiderunt.* Et Isaacus Vossius in Diatribis quibusdam ipsi textui Ebraico versionem illam præferendam esse, evincere satagit: meritò tamen, non solùm à nostratibus, (videantur B. D. Gerhardus Disp. Isag. l. de Sacra Scriptura cap. 17. §. 6. Dominus D. Calovius Crit. S. pag. 787. seqq. B. D. Walthe-

res

rus Offic. Bibl. §. 339. seqq. alii.) verûm etiam à Pontificiis, ceu ex Huntlæo t. 1. Controv. c. 11. p. 42. Bonfrerio proleg. in libb. Mosis videre est, versioni illi textus Hebraicus præfertur. Quòd autem vulgatam attinet versionem Latinam licet cœco eam impetu Papicolæ in Concilio Tridentino sess. 4. decret. 2. authenicam pronunciarint, dudum tamen à nostratibus evictum, quòd cum non solùm versio ea sit, sed insuper plurimis scateat erratis, multùm ineptè Pontificii in fastigium illud evehere eam satagant. At omissô jam nunc illô, quod Russorum versio Bibliorum Slavonica quantum ad V. T. ex translatione τῶν LXX. adornata sit, id quod nemo magnoperè impugnabit, qui perpenderit, quantâ versio illa Græca primitivæ Ecclesiæ temporibus in autoritate fuerit. Illud fortè scrupulum injicere alicui posset, quomodo Rusica seu Slavonica Nov. Test. versio juxta vulgatam versionem Latinam adornata sit, cum Græci, per quos Russi seu Moscovitæ Religionem Christianam acceperunt, aversô semper ab Ecclesia Latina fuerint animo, minimèque adeò consentaneum, ut cùm Græca lingua, quâ Novi Testamenti tabulæ originaliter conscriptæ sunt, vernacula eis sit, fonte deserto rivulos sectati fuerint, hoc est versionem Nov. Test. sive Slavonicam sive Russicam non juxta textum Græcum, qui tamen illis in communi usu, sed juxta ejus versionem Latinam in gratiam Moscovitarum adornarint. Hic judicio lectoris committimus, an fortè dubio huic istâ ratione fieri aliquo modo satis possit, si ex antiquitatis Secretariis repetatur, quòd S. Hieronymus sacros libros in Dalmaticam transtulerit linguam. id quod licet Cardinalis Bellarminus lib. 2. de V. D. c. 16. Respons. ad 6. in dubium vocare videatur, ejusdemque hyperaspistes impudentissimus Jesuita Gretserus penitus neget: ultro tamen Erasmus largitur Roterodamus. Nec hic solùm, sed & Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. Sanctæ Annot. 152. pag. 491. (idemque lib. 4. d. l. p. 47. differte quoq; scri-

 bit:

bit: *Transtulit quoq; Hieronymus, ut ipsemet in Epistola ad Sophronium testatur, universum totius divinæ scripturæ corpus in Dalmaticam linguam, ad utilitatem nationis suæ gentium: quæ usque in hanc diem hujus translationis lectione summa cum veneratione utuntur.*) itemque Jesuita Alphonsus de Castro lib. 1. adversus hæreses c. 13. p. 32. imo & Cardinalis Hosius in Dialogo de Sacro vernaculè legendo. Notant autem viri docti, quòd Dalmatica lingua & ipsa Sclavonica sit, vel certè ejus dialectus. Si igitur verum est, id quod Pontificii communiter, & quidem acriter defendunt, quòd B. Hieronymus Vulgatam N. T. Versionem emendarit, haut absonum videtur, quòd idem quoque ipse in transferendo eodem in linguam Slavonicam sive Dalmaticam, quæ ipsi vernacula fuit (natus enim ipse, ceu in Catal. Script. Eccles. meminit, in oppido Stridonis, quod à Gothis eversum, in Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinio erat) Latinæ versionis rationem habuerit. Jesuita Adamus Contzen in Quæstionibus proœmialibus in N. T. Quæst. 4. §. 10. fatetur, quòd extiterit quondam Dalmatica Bibliorum versio, quemadmodum & Francica, Britannica &c. sed Autores ignorari, addit. Ex quo igitur Græci, qui Sacerdotes linguæ Slavonicæ peritos in Rusiam miserunt, deprehenderunt, quòd in Dalmatiâ jam tum extent Biblia, in linguam Slavonicam, Rusis seu Moscovitis cognitam, translata; hæc ipsa & Moscovitis ab iis fuisse commendata, veritati consentaneum est. Quod si alicui minùs credibile videtur, quòd Dalmatica illa Bibliorum versio, quæ S. Hieronymum habet Autorem, sit ea ipsa, quâ Moscovitæ hodiè utuntur (hos enim in vernacula sua sive Slavonica lingua, quæ si non ratione alia, certè Dialecto à Dalmatica differt, Scripturas Sacras legere, non solùm Olearius supra laudatus testatur, sed idem quoque pridem monuit Hardingus contra Anglic. confess. art. 3. sect. 38. (qui ipse insuper d. l. distinguere videtur inter versionem illam, quâ Rusi, per quos fortè nigros seu rubros saltim intelligit, utuntur, & qua Moscovitæ, qua de re alii dispici-

ant)

ant) perpendat, num versio ea fortè Slavonica illa sit, quæ à Methodio quodam adorata fuit, cujus versionis his Joannes Aventinus, Historicus diligentissimus, Annalium Bojorum lib. 4. p. 259. meminit verbis. *Eâdem*, scribit, *tempestate* (imperante Ludovico Augusto Germ. ac Romæ sedente Johanne IIX. hoc est, seculo à Christo nato nono.) *Methodius Philosophus Venedas invenit literas, vertitque divina oracula in vernaculum Slavorum sermonem: persuasitque popularibus Dalmatiam incolentibus, ut explosâ lingua Latinâ exsibilatoque ritu Romano, suum consecrarent eloquium. Idem verò hoc cùm & incolis in Bojariæ regno persuadere conaretur factione Juvavensium mystarum inde pulsus in Moraviam aufugit. Ubi in urbe Olmuntz humatus fuit.* Videtur autem Methodius hic unus idemque fuisse cum Methodiô Moravensis Ecclesiæ Archi-Episcopo ad quem Johannes Papa IIX. Epistolam aliquam exaravit, (quæ in ordine est 268. ac habetur t. 3. Concil. Gener. Binii part. alt. p. 998.) de quo idem Aventinus dicto loco refert, quod ob bella crebra Moraviâ (quæ quondam latissima erat: ab Occidente enim Bohemiæ continuabatur, Orientis ab ora & meridie tum cum Danubio usque in Pontum ferè excurrebat, atque cum Europa finiebatur, ejusque Regulus summus Slavorum Princeps censebatur, referente Aventino l. 6. 4. p. 242.) relictâ in Dalmatiam abierit, ibique inventis literis ad Moravos redierit, quem ipsi quoque illi in album superûm adscriptum religiosè colant. Cæterùm utut Pontifex Romanus Johannes maluisset, ut sacra linguâ Latinâ, ad stabiliendam nempe Monarchiam Papalem celebrarentur, lenitate tamen aliquâ erga Moravos usus est, ita inter alia ad Sfent opulcrum Moraviæ Comitem scribens: *Litteras Slavonicas à Constantino quodam Philosopho repertas, quibus* DEO *laudes debitæ resonent, jure laudamus, & ut in eâdem lingua Christi* DEI *nostri præconia & opera enarrentur, jubemus: neque enim tribus tantùm, sed omnibus linguis Dominum laudare, autoritate sacra monemur, quæ præcipit, dicens: laudate*

date Dominum omnes gentes &c. Nec sacræ fidei vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missam in eadem Slavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium, vel lectiones divinas Novi & Veteris Testamenti benè translatas & interpretatas legere &c. Integra Epistola habetur apud Cardinalem Baronium t. 10. Annal. ad A. C. 880 n. 16. seqq. Cæterum, si Biblia illa Slavonica, quibus Moscovitæ hodiè utuntur, tot seculorum redolent antiquitatem, quod adserere tamen non audemus, ea ipsa fortè sunt, quæ ex Dalmatia in Moraviam reversus Methodius cum terris illis communicavit, nec tam Methodium, quàm Hieronymum habent Autorem. Etenim si jam dum S. Hieronymus in linguam Dalmaticam (quam Slavonis vernaculam esse, ex Aventini verbis de Methodio suprà adductis colligere quodammodo licet) Sacra Biblia transtulit, quod ex epistola ejus ad Sophronium viri docti, interque hos Sixtus quoque Senensis colligunt, ejusque versionis lectione etiamnum Dalmatæ summa cum veneratione utuntur, quid opus erat, novam pro Dalmatis adornare translationem? Quòd si quis minùs sibi persuadere possit, quòd Dalmatica Bibliorum versio Hieronymo tributa sit illa, quâ Bosniæ, Bulgariæ, Moldaviæ, Rusiæ utriusque, hoc est Moscoviæ atque Ducatus Lituaniæ incolæ, aliæque nationes Christianæ, quibus Slavonica lingua vernacula est, ac qui Græcæ Ecclesiæ ceremoniis in cultu divino utuntur, familiaris est: amplectatur, per me licet, illorum sententiam, qui existimant, quòd Methodius ille (de quo paulò antè ex Aventino lib. 4. Annal. Bojorum p. 259. retuli, quòd Venedas, Servianas vel Illyricas invenerit literas, verteritque divina oracula in vernaculum Slavorum sermonem) versionis illius Autor sit. Atque hæc sententia illustri cumprimis Scaligero arrisit, ut qui observavit, quòd extet Scripturarum in Slavonicam linguam translatio, Hieronymi versione Dalmaticâ posterior, charactere Serviano, non ut illa Hieronymi, Dalmatico, & hanc ipsam esse, cujus in Moldaviâ, Rus-

siâ

siâ &c. usus est, laudatus Scaliger arbitratur. Ex quâ verò Bibliorum versione Methodius ille translationem hanc in linguam Slavonicam adornarit, num ex vulgatâ Latinâ, an potiùs ex Dalmaticâ Hieronymi, an verò ex ipso textu authentico, quod minùs probabile, illi demum judicare rectiùs poterunt, quibus tum Dalmaticam, tum Slavonicam evolvere atque intelligere concessum. Typis quidem impressa extat versio Bibliorum Slavonica, literis Latinis s. Dalmaticis, ut vocant, Wittebergæ superioris seculi An. 84. exscripta apud Johannis Cratonis hæredes. (& hanc in illustri inclutæ Academiæ hujus Bibliotheca videre mihi contigit.) Ast num eadem hæc sit cum Slavonica, qua Russi hodiè utuntur, meum non est judicare, quippe cum Russicam oculis usurpare mihi nondum licuerit. Cœterum legitur in libris Moscovitarum Catecheticis, linguâ & typis Moscoviticis descriptis, quos ex suis mecum Bibliothecis Excell. Dn. Præses ac Dn. Bosius, Professores in incluta hac Salana publici, præceptores mei ætatem devenerandi communicârunt, alias inter preces ac Psalmos Davidicos, Oratio quoque Dominica, quam cum Lectore benevolo ac curioso pariter communicandam hîc duxi, (sed characteribus saltem sive typis Latinis, cùm Moscoviticorum Typographo copia non sit,) tum ut genium inde linguæ Moscoviticæ quodammodo cognoscat, tum ut judicare possit, quid habendum de relatione Clementis Adami sit, quem in Rerum Moscoviticarum Miscella Farragine Marcus Zuerius Boxhornius exhibet. Is ipse v. p. 42. de Moscovitis scribit, quòd Orationem Dominicam decimus quisque haut noverit. Sed quô Linguæ Russicæ cum Polonica, Bohemica, ac Slavonicâ cognatio simul appareat, non tædio erit, apponere eandem Orationem Dominicam in dictis modò linguis. Et in Polonica quidem atque Bohemica, prout in Bibliis Polyglottis Elias eam sistit Hutterus, in Slavonica verò, prout in Bibliis Slavonicis, quorum itidem modò facta mentio est, eadem legitur.

Oratio Dominica ex Matth. 6. v. 9. seqq.

In Linguâ Russica, ex lib. Moscov. Catechicis & Rotha.	*In Linguâ Polonica ac Bohemica apud Eliam Hüttenum.*	*Slavonica in Bibl. Slav. Witeb. impressis.*
Otze nas ishe esi na nebesich.	*Oycze naſz ktor jeſtes vv niebie.*	Otce naſs/ ktery/ zgſy w Nebeſych.	Nash Ozha Kir ſi v' nebeſsih.
1. Dastetsi ime tvoje.	*Svviec ſie imie tvvoje.*	Oswet ſe Gmeno twe.	1. Posvizhenu bodi tvoje ime.
2. Pridet zratbie tvoje.	*Przydz kroleſtvvo tvvoje.*	Pride kralowſtwii twe.	2. Pridid tvoje Kraileſtvvu.
3. Dabude vola tvoja jako na nebesi, ina ſemli.	*Badz vvola tvva jakovv niebie taky na ziemi.*	Bude wule twa/ yako w nebi tak y na zemi.	3. Iſidi ſe tvoja vola na ſemli kokor v' nebeſsih.
4. Chleb nas nasu ſcha dai nam danes.	*Chleba naſzego povvſzednye day nam dziſia.*	Chleb naſs nad podſtatnij day nam dnes.	4. Nash Uſakdaini Kruh dai nam danas.
5. I od ſtavi nam dolge naſe jako i mi od stavlem dulchinkom nasim.	*Y od pusc nam naſze vviny, jako y my od pus zamy naſs ym VVino vvaycom.*	A odpuſt nam naſſe Winny/ yako y my od pauſſtjime naſſym Winnijkum.	5. Inu odpuſti nam nashe dulge, kakòr my nashim dulshnikom od puſzhamo.
6. I ne vavedi nas ne paſt.	*Ynie VV vvodz nas na pokuſzenie.*	Nevvode nas pokuſzenij.	6. Inu nas neupelai viskushnjo.
7. No izbabi nas olukabajo.	*Ale nas zbavv ode zlego.*	Ale Zbaw nas od zleho.	7. Temuzh nas reshi od slega.
Iako tvoje e kraleſtuo i moch i slava na veki, Amen.	*Abobiem tvvoie jeſt kroleſtvvo y moc y chvvala na vvieky, Amen.*	(Nebo twe geſt kralowſtwij a Moc y ſlawa na weky) Amen.	8. Sakai tvoje kraileſtvu Muzhiau Zhaſt vekoma Amen.

Sed ut

Sed ut ad Methodium, cujus aliquoties facta mentio est. revertar, referunt Autores quod in prædicando Evangelio apud Slavones aliosque gentiles socium habuerit Cyrillum. Fuit verò hic Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacerdos, Linguæ Slavonicæ gnarus, non verò, quod errone è Mutius Pansa de Bibl. Vet. statuit, Hierosolymitanus ille Episcopus, cui Catecheses, licet fortè falsò, communiter adscribuntur: constat enim, quòd Cyrillus Hierosolymit. vixerit seculo quarto à Christô natô, Methodius verò, cujus Cyrillus ille alter socius fuit, à Slavonibus Chiruill dictus, seculo demùm nono. Cæterùm illud memorabile est, quòd licet Moscovitis concessum sit, ut in privatis ædibus integra Biblia linguâ vernacula possideant eademque legant, haut quaquam tamen ipsi concedant, ut Biblia integra templis inferantur, prætexentes, quòd in V. T. multa legantur obscœna & impudica, per quæ templum, locus sanctus, pollui possit. Quâ de causâ etiam præter Novum Testamentum aliqui Prophetarum saltem libri in templis conspiciuntur, quibus in illis utuntur. refert Olearius loco sæpiùs citato p. 276. Sed hâc in re æquè superstitiosi ac Pontificii sunt, de quibus itidem constat, quòd inter alias rationes, cur laicis scripturæ S. lectione interdicant, hanc quoque afferant, (Videatur Bellarm. lib. 2. de V. D. c. 15. Bullingerus contra Cap. 6. Bless. lib. 2. de Eucharistia, Thomas Hardingus contra Ivellum art. 15. sect. 5. apud Ivellum t. 1. p. 122.) *quòd certum sit, nonnulla capita atque historias V. T. eam materiam continere, quæ malarum cogitationum occasionem præbitura videatur, si mulieres, Virgines, adolescentes ea legere sinantur.* Verùm sicut vanus hic Pontificiorum metus est, siquidem certum potius est, quòd DEus lingvæ artifex idemque sanctissimus, probè sciverit, quæ per amanuenses suos, Prophetas in V. Apostolos verò & Evangelistas in N. T. annotare è re Ecclesiæ fuerit: ita inepti Moscovitæ sunt, existimantes, profanari templum, si libri Biblici, in quibus sanctorum lapsus annotati leguntur, ibi adserventur, vel etiam publicè

populo explicentur. Si verò per ejusmodi hiſtoriarum lectionem templum profanatur, cur ipſimet concedunt, ut in privatis ædibus tales hiſtoriæ legantur, adeoque in piorum cordibus, (quæ tamen ſpirituale Spiritus S. templa ſunt, 1. Cor. 3. v. 16. 2. Cor. 6. v. 16.) adſerventur quaſi. Præterea ſi in V. T. templum Hieroſolymitanum, ipſumque adeò ſanctum Sanctorum, (in quô arca fœderis, in cujus latere Sacerdotes divino juſſu libros ſacros reponebant, ceu Doctores Orthodoxi ex Deut. 13. v. 24. 1. Sam. 10. v. 24. ac 2. Reg. 22. v. 8. colligunt,) non fuit ab iſtis libris profanatum, nec Chriſtianorum quoque templa profanabuntur, ſi libri V. T. ſacri, non obſtante, quòd in quibusdam ſanctorum lapſus commemorentur, illis inferantur. Sciendum verò, quòd Sanctorum peccata & lapſus, adeoque hiſtoriæ obſcænæ in ſacris referantur, *ut ruina præcedentium ſit admonitio ſequentium*, uti pulcrè monet verè ille χρυσορρήμων Ioh. Chryſoſtomus homil. 34. in Matth. ſive ut loquitur auguſtiſſimus ille Hipponenſium præſul, Auguſtinus in Pſ. 40. *ut audiant, qui non crediderunt, ne cadant; qui crediderunt, ut ſurgant. non ſit delectatio minorum lapſus majorum: ſed ſit tremor minorum lapſus majorum.* Conſer etiam Diſputationes Gieſſenſium t. 5. Diſp. 1. Can. 6. Has ipſas verò ſacras divinasque literas, quæ ſcripturæ S. ac Bibliorum hodiè veniunt nomine, utut Moſcovitæ claras & perſpicuas eſſe, tum quoque ſufficientem fidei normam in illis haberi, rectè ſtatuant: in eo tamen errant, quòd omnem ſcripturæ S. interpretationem improbant, adeoque nec conciones ſuper textus Biblicos inſtituere, Popis ſeu Eccleſiæ Miniſtris permittunt: imò ſi quis tale quid tentâte auſus fuerit, graviter in illum animadvertunt, quemadmodum Dominus Olearius in Itiner. Moſc. Perſico p. 291. 292. meminit. qui ipſe etiam p. 279. refert, quòd nec diſputare de rebus religionis Popis Moſcovitarum conceſſum ſit. Idem etiam hoc ſuo confirmat calculo Gvagninus, diſerte ſcribens, *quòd concionari in Eccleſiis ſuis obſtinatiſſimè Moſcovitæ prohibeant, dicentes, ſe hoc modo varias hæreſes & diverſas de fide opiniones effugere,*

fugere, quæ ex concionibus & subtilibus argumentis sophisticisque quæstionibus oriantur. Qua in re conformes se Moscovitæ Mohammædanis sive Turcis præbent, de quibus Augerius Gislerius Busbequius, S. C. Maj. ad Imp. Turc. Legatus in Itin. Constant. & Amasiani descriptione prodit, quòd itidem apud illos, ne de Religione disputent, lege cautum sit.

Quamvis autem, ut modò dictum, conciones apud Moscovitas prohibitæ sint, nihilo tamen minus usu receptum est, ut præter textus Biblicos, quos ex Psalmis cum primis Davidis ac Evangelistis depromunt, ex Patrum quorundam Græcorum, quorum scripta suam in linguam translata illi habent, homiliis aliquid populo prælegant. Præcipuè quoque symbolum Athanasianum. Ex Patrum autem numero, quorum scripta apud Moscovitas recepta sint, commemorat Dn. Olearius in Itin. p. 276.

1. *Cyrillum Hierosolymitanum.* illum puta, cui Cathecheses adscribuntur, ac qui circa annum Christi 365. floruit. Dicitur verò hic Moscovitis *Quirila Ieruſalimski.*

2. *Johannem Damascenum*, qui vixit seculo octavo sub Leone III. ac Constantino V. scripsitque cumprimis libros IV. de Orthodoxâ fide. Vocant hunc Moscovitæ *Jvan Damaskin.*

3. *Johannem Chrysostomum*, Archi-Episcopum Constantinopolitanum, cujus plurimæ extant homiliæ in diversos sacri Codicis libros. Tanta vero huic in dicendo fuit dulcedo, ut loquenti mella profluere, ac quæ proferebat, complere apes floribus & innectere viderentur. Unde etiam procul ambiguo nomen illud, quod *os aureum* sonat, ei cessit, quod Moscovitæ quoque exprimere satagentes, *Ivan Solottoušta* id est Iohannem ore aureo eum vocant Obiter hic indicandum duxi, quòd Slavonibus, ceu ex Bibliis eorum videre est, *Slatu* aurum & *usta* os significet. ex quo linguæ hujus cum Moscovitica convenientia quodammodo apparet. Alexander quoq; Guagninus scribit, Moscovitas Chrysostomum Zloto usti appellasse.)

Floruit autem Chrysostomus temporibus Arcadii & Honorii circa finem Seculi quarti.

4. *Ephrem Syrum*, Diaconum Edessenum, seculo quarto celebrem, cujus jam olim tantum in quibusdam Ecclesiis fuit æstimium, ut referente Hieronymo in lib. de scrip. Illustribus, scripta ejus post Scripturam sacrarum lectionem palam recitarentur. Vocant hunc Moscovitæ *Ephrem Syrin*, referuntque de eo, quòd librum aliquem aureis scriptum literis, ab Angelo acceperit, quem nemo nisi ipse aperire potuerit, dehinc singularem in dicendo & scribendo prodidisse spiritum.

Præter hos habere quoque eos Dn. Olearius prodit Gregorium quendam, *Bogoslova* illis dictum, quem fortè *Gregorium Nazianzenum* esse, idem suspicatur (nec vanè: testantur enim & Guagninus, itemq; Oderborn. Ep. de Ruthen. religione ad Chytræum, quod Gregorii Nazianzeni scripta in suam linguam translata illi recipiant) tum verò & alium Russicum Doctorem, sanctitate & miraculis celebrem, quem suâ linguâ *Nicolla Sudatvvoriz* vocent, ac diligenter evolvant. Atque ex hoc fortè Autore depromunt fabulas suas, quas loco Evangelicarum lectionum publicè in templis prælegere solent. Cujusmodi est illa, quam Oderborn. epistolâ de Russorum Relig. An. 1581. ad D. Chytræum scriptâ his verbis refert: *Feriâ istâ, quâ nos legimus Evangelium de suscitato ex mortuis filio viduæ Nainicæ, hospes meus, consul Deisnensis, Alexius Cæsarinus Ruthenus in suo templo hanc lectionem audivisse dicebat: Christum matri Mariæ obviam factum suppliciter ab eâ unum rogasse nummum. Matrem verò cùm & ipsa nihil haberet argenti, Filium Christum cum dolore dimisisse è conspectu.* Tradit quoque Johannes Faber in Diatribe de Relig. Moscovit. ad Ferdinandum Regem Romanorum, quòd Moscovitæ ea, quæ sub Constantino Magno à 318. Episcopis in Nicea, Urbe Bithyniæ primo Niceno Concilio concluſa, ac à Basilio Magno & S. Chrysostomo tradita & prædicata fuerunt, tam sancta, tam firma, tam sincera esse credant

dant, ut ab illis hactenus nusquam licuerit transverso digito recedere cuiquam, sicut nec ab Evangelio Christi. Alexander præterea Gvagninus Veronensis in descriptione Sarmatiæ Europæ memorat, quòd Moscovitæ in Catalogo Sanctorum Pontifices quosdam Romanos venerentur, quos nempe secum sentire statuant, & quidem 1. *Sylvestrum*, qui in Synodo prima cum ipsis fecerit. 2. *Damasum* in Synodo secunda. 3. *Celestinum* in Synodo tertia. 4. *Leonem* in quarta. 5. *Vigilium* in quinta. 6. *Orphanium* in sexta. 7. *Adrianum* in septima. quæ verò Concilia & Synodi post illas septem celebratæ fuerint, eas omnes maledictas, perversas & hæresi turpiter depravatas dicere. Idem etiam Gvagninus de Moscovitis testatur, quòd præter Chrysostomum, Basilium quoque Magnum & Gregorii P.R. libros de moralibus scriptos recipiant. Ante verò, quàm à loco de Scriptura S. discedam, unicum adhuc illud monendum, quòd ceu jam olim tàm Evangelistarum scripta, quàm reliquos N. T. libros in certa quædam κεφάλαια, & hæc rursus in πεικοπὰς seu minora segmenta Græci in MSS. Codd. distinxerunt ceu κεφάλαια in Matthæo ξ', in Marco μ' &c. minores verò sectiones in Matthæo τνέ, in Marco σλ's &c. fecerunt: ita quoque Moscovitæ N.T. in ejusdem segmenta dividant. Monente enim Joh. Lasicio Polono in Theologia Moscovitica, apud Moscovitas Matthæus capitula (seu πεικοπὰς) habet 116. quæ zaczalas h. e. inceptiones cognominant, pleraque adeò parva, ut ex tribus aliquando constent versibus: in Marco 71. in Luca 114. & sic consequenter.

CAPUT II.

SUMMARIUM.

MOscovitæ sacra linguâ vernacula seu Slavonica peragunt. Quâ in parte sequuntur Græcos plerosque, qui Pontificis Romani

Romani affectatam Monarchiam respuunt. Recensetur constitutio Pontificum Rom. de sacris in Lingua Latina peragendis. circa quam tamen dispensationem admittere non dubitarunt, modò Pontificiæ majestati nihil inde decedat, cujus stabiliendæ gratia cumprimis pro isto linguæ Latinæ in Sacris usu, tantopere videntur Papicolæ laborare.

Quòd Moscovitæ sacras divinasque literas in linguâ vernacula habeant, legant atque audiant, in præcedenti capite paulò prolixiùs ostendimus. Eâdem verò vernaculâ suâ lingua, quæ Slavonica est, vel hujus Dialectus, & sacra sua cæterorum Græcorum more peragunt, ceu præter alios plures Jesuita quoque Adamus Conzen Quæst. Procem. in Evang. q. 7. p. 14. monet. Atque huic quidem consuetudini adeò arctè adhærent Russi, ut licet pars eorum, qui videlicet in magno Lithvaniæ ducatu degentes Poloniæ Regis Imperium agnoscere, adeoque etiam hac in parte idem, quod ipse Polonorum Rex, venerari caput spirituale, hoc est Pontificem Romanum coguntur, regnante Sigismundo Poloniæ Rege, ac Romæ sedente Clemente IIX An. 1595. Pontificiæ tyrannidis jugo se submiserit: ipsi tamen Russi illi (rubros intellige seu nigros) priùs, quàm ad unionem illam accederent, inter alia nonnulla, de quibus postea per deputatos suos Adamum Wlachinienſem atque Cyrillum Luceorienſem pacti fuerint, ne ad alias ceremonias, quibus huc usque caruerant, compellantur: *quin potiùs secundùm ritum & consuetudinem Ecclesiæ ipsorum integræ conserventur.* Quod licet Cardinalis Baronius Append. Tom. 7. Annal. Eccles. &c. (ubi monumentum de Ruthenis illis ad communionem sedis Apostolicæ receptis satis pomposum exhibet) penitus dissimulet: (veritus quippe, ne fortè Pontificiæ majestatis læsæ crimen committatur) ingenuè tamen id ipsum fatetur Thomas à Iesu lib. 6 de Convers. Gent. part. 3. c. 1. pag. 328. Consuetudo verò & ritus Ecclesiastici, in Russica Ecclesia recepti, diserte docent, quòd sacra linguâ

Servio-

Serviorum sive Slavonica, ut quæ monente Miech. *l.* 2. de duabus Sarm. c. 1. ipsis familiaris sive vernacula est, peragant. Testantur eâ de re præter Sigismundum Baronem de Herberstein ipse Jesuita Antonius Possevinus de rebus Mosc. nec non Gvagninus de Relig. Mosc. qui addit insuper, *quòd hymnos quoque Græcos admisceant.* de quo tamen non immeritò quis dubitet, cùm referente Dn. Oleario l. c. pag. 280. *nullus Moscovitarum, sive Ecclesiastica sive Politica persona sit, ullam dictionem Latinam, aut Græcam intelligat;* jam nunc verò demum, institutis in urbe Moscuâ Scholis Latinis ac Græcis linguas hasce discere incipiant. Quis verò Liturgiæ illius, quæ apud Russos in usu, autor sit, pariter disquiri solet. Quòd si linguâ Dalmaticâ conscripta illa est, posset quis cogitare, quòd Hieronymum Architectum agnoscat. Monet enim Angelus Rocha à Camerino in Biblioth. Vaticanæ descriptione, Dalmatis persvasum esse, quòd Liturgia illa, qua ipsi utuntur, ab Hieronymo profecta sit. Sed quæritur, num lubens Pontifex Romanus populis illis, qui dominium ejus quodammodo agnoverunt, nec tamen sacra linguâ Latinâ peragere voluerunt, tale privilegium concesserit. Ex epistolâ, quam tali in negotio Johannes IIX. ad Sfentopulcrum Comitem exaravit, quamque Baronius Annalibas suis, & quidem Tomo 10. ad An. 880. n. 16. seqq. inseruit, apparet, quod ἐκὼν ἀέκοντι τῷ ϑυμῷ tale quid Moravis concesserit. Ita quidem, ut temporis successu abolitâ linguâ Slavonicâ, quæ vernacula Moravis tum erat, & in qua sacra peragebantur, hæc ipsa Latinâ linguâ celebrarentur. Ita enim habent verba epistolæ Pontificis Joh. IIX. ad Sfentopulcrum in fine: Jubemus tamen, ut in omnibus Ecclesis terræ vestræ propter majorem honorificentiam Evangelium Latinè legatur, & postmodum Slavonicâ linguâ translatum in auribus populi, Latina verba non intelligentis annuncietur, sicut in quibusdam Ecclesiis fieri videtur. Et si tibi & judicibus tuis placet, Missas Latinâ linguâ magis audire, præcipimus, ut La-

tinè tibi Missarum solennia celebrentur. Ex quâ Pontificis Romani, qui seculo vixit X. epistolâ patet, quòd erret Angelus Rocha de Camerino in descriptione Bibl. Vaticanæ, quando consuetudinis hujus, sacra linguâ Slavonicâ celebrandi, initium ad Paulum II. qui seculo demum quarto decimo vixit, refert. Qui ipse etiam ibidem p. 168. in excessu quoque peccat, dum jam tum Cyrillum, qui sexcentis propè annis ante Pium II. vixit, à Papâ privilegium illud obtinuisse memorat. Idem verò privilegium confirmatum quoque ab Innocentio III. fuit, quippe instituentis, ut in emporiis, in quibus diversarum nationum, linguis & ceremoniis differentium concursus esset, sacra quoque diversis linguis celebrarentur. Azorius quoque postquam ex mente protestantium sibi objecerat, quòd Jacobus Apostolus Chaldaicè vel Syriacè apud Judæos liturgiam composuerit, Græci pro Græcis, Hieronymus quoque linguâ Dalmaticâ, respondet: *Concedo, sed id factum est, quia id extorserant.* Unde etiam facilè perspicere licet, quàm curæ Papicolis sit Decretum Concilii Tridentini sess. 22. c. 8. *Si quis dixerit, linguâ tantum vulgari Missam celebrari debere, anathema sit.* Quid quod Cardinalis Hosius lib. de sacro vernaculè legendo, scribat: *Non modò non aucta, sed diminuta religio & pietas, postquam aliqui linguâ vernaculâ in officiis Ecclesiasticis uti ceperunt.* Prætendunt sanè Pontificii, *quòd religio ac pietas aliquid detrimenti capiat, si sacra, cumprimis Missæ celebratio, vernaculâ lingua, & non Latina* (quâ solâ Missas celebrari debere, Pontifex R. cum assecliis suis statuit) *peragerentur.* Sed phrasi illâ ex mente Papicolarum nil intelligi aliud debet, quàm quòd Monarchica Pontificis R. potestas & supereminentia, quam supra omnes Ecclesias in toto terrarum orbe temerario ausu ille adfectat, diminuatur, si concedatur, ut lingua vernacula in officiis Ecclesiasticis adhibeatur. Cessante enim tantâ linguæ Latinæ veneratione, cessabit quoque veneratio Ecclesiæ Romanæ seu Latinæ, & ulteriùs ipsa illa P. R. potestas aliquid

quid detrimenti capiet. Cæterum plura in hanc rem videri apud B. D. Gerhardum possunt Confess. Cathol. art. 15. c. 3. §. unica.

CAP. III.

De Sacro Sancta Trinitate.

QUandoquidem Moscovitæ præter Symbolum Apostolicum, (quod etiam ediscere solent, verbis tamen quibusdam immutatis, teste Oderbornio in ep. ad Chytræum de Russorum religione.) Symbolum quoque Athanasianum (integrum omninò, nisi omissis post *Spiritus Sanctus à Patre* verbis *& Filio.*) referente Oleario in itinere Mosc. Pers. p. 276. amplectantur, in eo verò doctrina de S.S. Trinitate, *quòd videlicet unum DEum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate venerari debeamus; non confundentes personas, neq; substantiam separantes: cùm alia sit persona Patris, alia Filii, alia Sp. S. sed Patris & Filii & Spiritus Sancti una sit divinitas, æqualis gloria, & coæterna majestas* &c. clarè & orthodoxè exhibeatur ac credenda proponatur, dubitandum non est, quin sublime illud mysterium admittant, sicque tum à veteribus hæreticis, puta Arianis ac Photinianis, tum recentioribus Anti Trinitariis Socinianis longissimè recedant. Constat præterea ex libris Moscovitarum Catecheticis, (cujusmodi libellum apud Ostrocenses excusum Excellentiss. Dn. Præses mihi utendum exhibuit,) quòd Symbolum Nicenum sincerè, ceu primitùs conscriptum est, admittant. nil quicquam in eo mutantes, vel omittentes, præterquam post εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς, verba illa καὶ τοῦ υἱοῦ, utpote quæ privato ausu & absque Orientalium Ecclesiarum consensu atque præscitu à Latinis Ecclesiis inserta fuisse, Moscovitæ cum Græcis conqueruntur. Nec vana eaiam querela illa Græcorum est. Unde etiam nec Æthiopes aliter de Spiritu Sancto docent, quàm quòd à Patre processerit. patet hoc ex Confes-

sione Fidei Claudii Regis Æthiopiæ, in quâ diserte legitur: ወነአምን ፡በመንፈስ ፡ቅዱስ ፡እግዚእ ፡ማሕየዊ፡ ዘሶበ፬ ፡እሙ ፡አብ፡ *Et credimus in Sp. Sanctum, Dominum vivificantem, qui processit à Patre.* Nec vana fortè suspicio, quòd in Syriaco D. Severii, Alexandrini quondam Patriarchæ Rituali, quod Guido Fabricius Boderianus Antverpiæ A. 1572. luci dedit, p. 63. ubi idem Symbolum Nicenum legitur, post ⲙⲡ ⲁⲧⲁ ⲡⲉⲓⲱⲧ i. e. *qui à Patre*, sc. procedit, inserta sint verba ⲙⲛ ⲡϣⲏⲣⲓ *& à Filio.* Sed ut ad Moscovitas revertar, certum omnino est, quòd Trinitatis illi mysterium juxta Symb. Apostolicum, Nicenum & Athanasianum admittant. Addo, quòd in Litania sua ipsam etiam vocem Trinitatis agnoscant: ita namque Litaniam suam. quæ in suprà memorato libello Catechetico linguâ & literis Moscovitis legitur, auspicantur: ПРПОА ПРОИЧЕ ПОМИЛУИ: НАСЪ: i. e. *Sacrosancta Trinitas miserere nostri.* Neque tamen prorsus nihil in Moscovitis desiderari hîc potest. Etenim cùm in doctrinâ de Spiritus Sancti processione, haud minùs quàm in aliis fidei Christianæ capitibus, Græcorum sequantur sententiam; hi vero Græci jam tum à multis retro seculis pertinaciter in eô hæserint errore, quòd Spiritus Sanctus non à Patre & Filio, id quod Ecclesia Latina prævia Scriptura Sacrâ rectè docet; sed *à Patre*, non verò simul à Filio procedat: manifestum est, quòd error hic in Moscovitis quoque jure merito hîc reprehendatur. Testantur vero de isthoc Moscovitarum errore in specie Alexander Guagninus in descriptione Sarm. Europææ, Sacranus de erroribus Ruthenorum c. 2. Haut temerè verò errorem hunc illis tribui, patet ex Epist. Johannis Metropol. Russ. ad Episc. Romanum, nec non ex libello Catechetico, cujus paulo ante facta mentio est, itemque ex alio quodam libello, itidem linguâ & characteribus Moscoviticis impresso, qui Psalmos Davidis exhibet. in eo verò pariter Symbolum

bolum Nicenum, omisſis verbis: *& Filio*, deprehendere licet. Mirum verò videri alicui poſſet, quî factum, quòd Græci (quos Moſcovitæ ſequuntur,) ſententiam illam ſuam tam pertinaciter defenderint, & etiamnum defendant: ſiquidem vetuſtiores Patres Græci, & inter hos quoque illi, quos Moſcovitæ magni aliàs facere ſolent, diſerte illâ utantur, ceu ex Symbolo Athanaſii, Didymo Alexandrino lib. 2. de Spiritu S. Baſilio Magno lib. de Spir. S. c. 18. Cyrillo Alexandrino lib. 10. in Joh. c. 4. & ep. 10. nomine Concilii Epheſini ſcripta, Chryſoſtomo Homil. de Expoſ. Symb. videre eſt. Sed cauſa, cur adeò adverſati additionem illam Græci fuerint, mox indicabitur. Occaſionem verò quæſtioni dediſſe creditur Theodoretus Cyri Epiſcopus, qui vixit anno 30. ſeculi quinti favens Neſtorianis: hic enim ſcripſiſſe fertur, *Spiritum S. non eſſe à Filio, ſed à ſolo Patre.* At non videntur tunc magnopere Doctores Eccleſiæ Theodoretum illum curaſſe, quippe cùm paucos haberet aſſeclas. Unde nec usque ad annum Chriſti 567. inveniuntur, qui ea de re tractent. Ex quô vero Ado Viennenſis in Chronico ſcribit, celebratum fuiſſe illo ipſo anno Concilium Gentiliaci, ad diſputatum coram Pipino Rege, Caroli M. patre, inter Romanos & Græcos de Trinitate & Imaginibus, cujus diſputationis & Concilii meminerint etiam Rhegino, Sigebertus & Abbas Urspergenſis in Chronico, & verò inter Græcos & Latinos de Trinitate nulla ſit vel fuerint tum controverſia alia, præter hanc de proceſſione Sp. Sancti, ſuſpicatur Bellarminus lib. 2. de Chriſto c. 21. §. *Quia tamen*, quòd de hac ipſa controverſia tum fuerit diſceptatio. Ab eo tempore ſententia hæc de proceſſione Sp. S. à Patre & Filio à Doctoribus Eccleſiæ Latinæ non ſolùm in Conciliis propoſita ac defenſa fuit, verùm etiam ſecus ſentientes damnati fuerunt, ceu ex Synodô Toletana VI. Anno 653. Synodô Foro Julienſi, Anno 791. habita, Concilio Lateranenſi Anno 1215. Concilio Ferrarienſi Anno 1438. cele-

brato videre est. Licet vero Græci illi, qui ad Concilia ablegati fuerunt, pacis amore Latinorum sententiam interdum approbarint, reliqui tamen Græci illorum consensum minùs ratum habuerunt, idque, ut non vanè suspicatur D. Hoornbeccius in summa controv. p. 944. propterea cumprimis, quoniam ipsi (Græci) dolenter tulerunt, quòd Latini, (& quidem autoritate Leonis III. P. R. uti Severinus Binius in not. ad Conc. Constantinop. 1. refert) in consultâ inauditaque Orientali Ecclesia, quæ hactenus idem cum Occidentali symbolum tenuerat, imò ab Orient. symbolum acceperat Occidentalis, verba illa *Filioque*, symbolo Niceno, vel Constantinopolitano potiùs, (etenim non in Niceno, sed Constantinopolitano Concilio, quod Oecumenicum secundum postrema illa verba τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν etc. quæ in Symbolo Niceno hodiè leguntur, huic ipsi adjecta fuerunt, monente B. D. Pappo Epit. H. E. p. 282.) adjecissent, eoque ipso prærogativam in Ecclesias cæteras quæsivissent. Sic cùm in postremô illô Ferrariensi Concilio, quod & *Florentinum* dictum, quia anno seq. ob pestem Florentiam translatum fuit, Legati quidam Græci ad Concilium illud missi, post longam disceptationem concessissent, *Sp. S. à Patre & Filio procedere*, cæteri mox dissensum prodiderunt. Reliqui verò qui in Græcia manserant, solenniter protestati fuerunt, nullam super ea re statuendi legatis factam esse potestatem. Donec tandem morte Josephi Patriarchæ, ac Imperatoris Johannis Palæologi vi majore perculsi adsensum præbuerunt, nefas rati, Imperatorem ipsamque patriam in summum discrimen adductam deserere, atque intempestivâ constantiâ propemodum prodere, cùm auxiliorum, ad propulsandos imminentes Græciæ Turcas, impetrandorum hæc una spes ostenderetur. Verùm cùm spe illâ suâ exciderent, (eò quòd Pontifex Romanus hâc unicâ de causâ, quòd Imperator Palæologus imaginis crucifixi Christi, in dextrâ manu Chorepiscopi intextæ venerationem recusas-

cusaſſet, Italis omnibus ſcripſerit : quicunque Imperatori Græco, qui noluiſſet imaginem Chriſti adorare, auxilium ferret, eum à ſacrorum communione ſine veniâ excluſum iri, ceu refert Hiſtoria Polit. Conſtantinop. apud Cruſium lib. 1. Turco-Græciæ.) ad priſtinum prolapſi errorem ſunt, in quo contumaciter adhuc perſeverant, ceu B. D. Gerhardus Diſp. Iſag. L. de Sp. S. c. 2. §. 47. rectè monet, & ex Actis Wirtenbergenſibus cum Jeremiâ Patriarchâ Conſtantinopolitano probat. Neque tn. inficias ire auſim, fuiſſe ſemper aliquos Græcos, jam tum ab habito Concilio Florentino ad hodierna usque tempora, qui deſerto illo Græcorum errore orthodoxam amplexi ſententiam fuerunt, cumprimis quos Pontificis Romani liberalitas in Italiam illexit. quos inter cumprimis hodie eminent Arcudius lib. 1. de Concordiâ Orient. & Occid. Eccleſiæ c. 3. & lib. 2. c. 15. ac Leo Allatius de Eccleſ. Occidentalis & Orientalis perpetua Conſenſione lib. 3. Qui ipſi etiam plurimos pro ſua ſententia adducunt, quos evolvat, cui otium eſt. Porro fundamenta ſententiæ orthodoxæ B. D. Gerhardus d. l. prolixiùs adducit & confirmat, quæ hîc repetere ſuperſedeo. Idem verò hic quæſtionem movet, An phraſis illa: *Spiritus S. à Patre per Filium procedit*, fidei analoga ſit ? ac reſpondet, quòd diſtinguendum ſit inter phraſeos hujus ſenſum. *Quo ſenſu enim*, ſcribit, *Theophylactus & Græci recentiores*, (quibus Moſcovitæ etiam adſtipulantur) *phraſin hanc explicant, admitti nequit, quia Pater & Filius, ut ſunt unum eſſentiâ, ſic in producendo uno eodemque Spiritu conſubſtantiali ſunt omninò unum in ſpirando* συνδυαζόμενον. *Quô verò ſenſu Baſilius eam explicat, tolerari poteſt, ut ſcilicet exprimat ſuppoſitorum ſive perſonarum ordinem, non autem inæqualitatem aliquam virtutis ſpirativæ ac ipſius ſpirationis.* Cæterùm, utut haut invitus largiar, graviter erraſſe Græcos, quando tam pertinaciter in errore illo ſuo perſeverarunt, nolim tamen propterea approbare ea, quæ Jeſuita Corn. à Lapide Comment. in Act. Apoſt. cap. 2. p. 68. habet, dum

ita,

ita: *Ne quis*, scribit, *dubitaret, Græcos ob blasphemiam in Spiritum S. hâc pœna mulctatos, capta est Constantinopolis à Turcis, occisus Constantinus ultimus Græcorum Imperator, & deletum penitus Orientale Imperium die tertia Pentecostes An. Christi 1453.* Pergit: *Justè Turcis, DEum unum confitentibus & Trinum negantibus, ideoque Spiritum Sanctum respuentibus, traditi sunt Græci, qui Latinis, SS. Trinitatem & Spir. Sancti divinam ex Patre & Filio processionem confitentibus, consentire & subdere se noluerunt. Justè durum Turcarum jugum subeunt, qui suave Ecclesiæ Romanæ jugum excusserunt. Justè Turcis quasi mancipia serviunt, qui ad Turcarum errorem accesserunt, quique fraternam unionem, & germanitatem cum Ecclesia Latinâ, per immane odium & schisma discederunt. &c.* Absit quidem, ut Græcorum, cumprimis quando errorem tam pertinaciter defendunt, patrocinium suscipere velim: neque tamen errore illo ad Turcarum errorem Græcos accessisse, affirmare ausim. Constat enim, quòd Turcæ mysterium Trinitatis irrideant, contrà verò Græci, licet Spir. Sanctum à Patre & Filio procedere negent, *à Patre per Filium eum procedere* statuentes, Symbolum tamen tum Nicenum, tum Athanasianum, in quibus fides Catholica de SS. Trinitate proponitur, sincerè amplectantur, adeoque Christiani meritò adhuc audiant. quod proinde miseram eorum conditionem, dum sub Turcici Imperatoris jugo ingemiscere coguntur, (de quâ durissimâ eorum conditione prolixiùs legi Christophorus Angelus Græcus potest, in de statu & ritibus Ecclesiæ Græcæ, cumprimis c. 1. 2. & 3. item Martinus Crusius in Turco-Græc. p. 193. seqq. Edvvin Santes, Eques Anglicanus in Relat. de Relig. c. 42.) spectat, tantum abest, ut Christianus insultare propterea eis debeat, ut potiùs compati illis debeamus, memores Salvatoris nostri moniti Luc. 13. v. 4. Cœterùm si quis tum ipsam urbis Constantinopoleos occupationem ac miseram devastationem: tum illius causas cognoscere desiderat, evolvat Historiam captæ Constantinop. à Leonhardo Chiensi, Th.

Prof.

Prof. & Mitylenes Archi-Episcopo, qui & ipse unà ab hoste & obsessus & captus fuit, adornatam, ipsique Pontifici Romano inscriptam, à Mich. verò Rottingo Norib. An. 1544. typis commissam. Dissertè verò in eâ commemorat dictus Autor, quòd industriâ & probitate Cardinalis Sabinensis, pro unione Græcorum ad Imp. Constantinop. Legati, effectum, *ut sancta unio, adsentiente Imperatore, Senatuq́ formaretur, celebraretuŕq́ secundo Idus Decembris Spiridonis Episcopi sancti die. Qua re peracta mox tempestas Theucri* (per quem Turcarum Imperatorem intelligit) *oborta, urbem Constantinopolin, Galatam, cæteraq́ adjacentia oppida absorbuerit.* Illa verò ratio Jesuitæ falsissima est, quòd propterea DEUS Græcos Turcico jugo subjecerit, *quia P. R. jugum suave*, (ita Tyrannidem Præsulis Romani insignit) *excusserint.* Culpandi quidem Græci sunt, quod pertinaci erroris sui defensione à Latina Ecclesia discessionem fecerunt, non verò, quòd jugum P. R. excusserunt, nec Monarchicum illius dominatum agnoverunt, uti infrà ostendam. Cæterùm pluribus de isto Græcorum errore consuli possunt Dn. Ursinus in Relat. Hist. Theol. c. 3. Hoornbeckius in summa Controv. lib. XI. p. 903. ac 943. seqq. Posset quoque hîc error Moscovitarum notari, dum honorem religiosæ invocationis, soli DEO debitum, ad sanctos quoque defunctos, Mariam cumprimis ac sanctum Nicolaum, horumque imagines transferunt: verùm cùm infrà in cap. de Cruce & precibus hâc de re agendi locus sit futurus, quapropter eô differam. Progressumque facio ad art. de Christo. Sit igitur

CAP. IV.

De CHRISTO θεανθρώπῳ.

UTut Moscovitæ cum Græcis negent, quòd Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedat, docentes, quòd *à Patre per Filium procedat*, attestante Oderbornio in Vitâ Johannis Basilidis lib. 1. nihilo tamen minùs Christum verum non minùs

æternumque DEum, quàm verum hominem agnoſcunt: Diſertè enim in Symbolo Niceno, quod paſſim in libellis eorum Catecheticis (extant enim omninò tales libelli, linguâ & literis Moſcoviticis in Moſcovia excuſi, quibus Moſcovitæ utuntur. An verò tales ſibi ſaltem Sacerdotes reſervent, juventuti verò non proponant, meum non eſt judicare.) continetur, profitentur, quòd *credant in Jeſum Chriſtum, Filium DEI unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſecula, lumen de lumine,* БОГА ИСТИННА ШЕОГА ИСТИННА: id eſt, *Deum verum de Deo vero.* ЕДИНОСЎЩНАШЧЎ. i.e. *Conſubſtantialem Patri.* & rurſus confitentur iidem in eodem ſymbolo, quòd Chriſtus quoque ſit verus homo ИВЪПЛО ТИВШАСА ШАХА СТА И МАРІА ДѢВЫ, *incarnatus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.* In ſpecie verò notari hic error magni Moſcoviæ Ducis ſolet, quando in invectivis ſuis in Rohitam apud Laſizium p. 26. ſcribit: *Ubi autem nunc ſunt Apoſtoli, illæ divinæ aquilæ? Annon ſecundùm dictum ejusdem ibidem, ubi illud cadaver divinæ incarnationis cum Patre ſedet?* In quibus verbis Magnus Moſcoviæ Dux ad Matth. 24. v. 28. reſpiciens, ubi Salvator noſter parabolicè cum cadavere ſe comparat, Chriſtum *cadaver* appellare non dubitat. Quô licet nomine Chriſti corpus, cumprimis in triduo mortis ſeu exanime, non ſolùm à quibusdam Calvinianis ac Pontificiis Doctoribus (ceu Excell. Dn. Præſes in Analectis ad cap. 2 Act. Apoſt. v. 27. oſtendit) inſignitum fuerit, verùm etiam Theologi Orthodoxi ultrò largiantur, quòd cùm Chriſtus proverbiali & figuratâ locutione ſeſe Matth. 24. comparet cadaveri, & in cadavere quoque leonis, ex quo Simſon mel comedit, Judic. 14. v. 8. præfiguratus fuerit, figuratè & certo reſpectu *cadaver* appellari poſſit, (vid. B. D. Gerhardum Diſpp. Acad. edit. noviſſ. p. 916.) attamen cùm uſus vocem *cadaveris* plerumque in malam partem accipiat, non incommodè monet Excell. Dn. Præſes d. l. quòd ſatiùs

ſit,

sit illâ voce abstinere, ubi de Christo sermo est, cum *in ipsâ* quoque morte corpus ejus τῦ λόγυ vivifici templum fuerit. Licet verò Corpus Christi Matth. 24. vers. 18. in aliquo tertio conferatur cum cadavere, non tamen sequitur, ergò appellari quoque *cadaver*, & quidem propriè potest, ut idem laudatus Dn. Præses observat Anal. ad Matth. 24. 28. Sic Christus comparat adventum suum cum adventu furis in nocte; neque tamen propterea appellari fur potest. Ast cum non constet, num propriè, vel impropriè Moscoviæ Dux in verbis suprà allegatis Christi corpus *cadaver* appellârit, & insuper ex aliis Moscovitarum libris pateat, quòd aliàs de persona Christi orthodoxè sentiant, nec unius alicujus incommoda locutio toti imputari Ecclesiæ possit, non magnoperè ob errorem hunc Moscoviticæ insoltabimus Ecclesiæ. Ille error & gravior & manifestior videtur, quòd Moscovitæ Mariam aliosque sanctos defunctos Patronos suos constituant. Et *Mariæ* quidem *imagine*, quam à Lucâ Evangelista, (quem pictorem fuisse, adeoque B. Virginis imaginem pinxisse, Moscovitæ, juxta cum Pontificiis, Videantur Jesuita Adamus Contzen Comment. in Lucam Q. 2. ac Sixtus Senensis libr. 2. Biblioth. Sanctæ tit. *Lucas*, p. 79. adde & Jesuitam Maldonatum Præf. Comment. in Lucam p. 1. persuasi sibi habent) profectam esse gloriantur, *integram Christianitatem in Moscovia conservari*, Magnus Moscoviæ Dux apud Lasizium p. 129. affirmat, cujus tamen rei cœteri Scriptores, quos quidem evolvere licuit, qui de rebus Moscoviticis scripserunt, nullam faciunt mentionem. De S. verò Nicolao passim legere est apud dictos Scriptores, quòd non solùm plurima miracula illi adscribant, felicissimumque rerum successum illi acceptum ferant: verùm etiam imaginem ejus passim in templis, omnibusque adeò ædibus quoque privatis venerentur, ceu infra Cap. de Cruce & precibus prolixius confirmabo. Pergo igitur ad

CAP. V.
De Creatione, Providentia & Angelis.

NIhil quantum ad præsentes articulos occurrit, in quo errores aliquos in Moscovitarum doctrina Autores notarint. referri tamen huc error eorum potest, quo *sanctos defunctos*, cum Papicolis, Patronos seu DEos quasi suos tutelares constituunt, illisque rerum tum conservationem, tum gubernationem nimis vanè tribuunt. Sic de Magno Moscoviæ Duce Lasizius p. 129. testatur, quòd disertè scripserit, *imagine Mariæ, à S. Luca picta, integram Christianitatem in Moscovià conservari.* Quanto rectius imperii sui conservationem DEo Opt. Max. in solidum adscripsit alius Moscoviæ Dux, nempe Michael Fœdorovitz, quando literas ad Mauritium Arausiæ Principem, quas Boxhornius primùm edidit & Latinitati transscripsit, ita auspicatur: *Omnipotententem DEum etc. qui salutem incolumitatem & tranquillitatem Magni Russiæ Imperii, magnatum aliarum regionum accessione tuetur & conservat, laudat celebratq; magnus Dominus &c.* Rectè omninò: sicuti enim sancti defuncti neque omnipotentes, neque omniscii sunt, ita nec rerum humanarum gubernatores aut conservatores sunt salutandi, nec beneficiorum sive spiritualium sive corporalium largitores habendi, uti pridem contra Pontificios, eundem errantes errorem, ab Orthodoxis Doctoribus evictum. Vid. B. D. Himmelius Tractatu de Nat. Invoc. veræ ac relig. part. 2. Class. 3. c. 3. p. 633. seqq. B. D. Chemnitius part. 3. Exam. Concil. Trident. B. D. Gerhardus. L. de Morte §. 390. seqq. it. Confess. Cathol. art. 10. cap. 2. Cumprimis verò Moscovitis Nicolai cujusdam patrocinium arridere deprehendo, quippe de quo Autores communiter referunt, quòd imaginem ejus in omnibus propè ædibus Moscovitæ studiosè adservent,

vent, nec exiguam providentiæ divinæ partem eidem tribuant. quo facit etiam, quod Dn. Olearius in Itinerario Perſ. p. 359. refert, quòd cùm ex Moſcoviâ in Perſiam Legati Holſati per Volgæ fluvium navigio contenderent, duo rubicundi ſerpentes per funem, cui anchora affixa, in navim aſcenderint, quos Ruſſi remiges videntes clamarint, ne acceſſu illi prohiberentur, quin potiùs ut cuſtodirentur ac cibarentur: eſſe enim ſerpentes bonos, *qui nuncient, quòd S. Nicolaus aliquantiſper à transtris ipſos ſit liberaturus.* Id quod etiam poſtea evenerit. Aſt hautquaquam ſecunda iſta navigatio Nicolao attribuenda eſt, quippe cùm ſolus Chriſtus ſit, (ut qui in unitate perſonæ DEus & homo) cui ventus & mare obediunt, Marc. 4. v. 41. Confer Gen. 8. 1. Exod. 15, 10. Num. 11. 31. Pſ. 135. 7. Pſ. 147. 18. Jer. 10. 13. &c. Facit huc elegans hiſtoria, quam his omnino verbis Dn. Olearius Itin. p. 296. refert: **Als 1611. der Schwediſche Feldherrr** Jacobus de la Gardie **groß** Neugart **eingenommen / und eine Feuersbrunſt entſtanden / hat ein Rüſſe ſein** Nicolaus **Bild gegen das Feuer gehalten und gebeten / Er wolte doch löſchen helffen. Als aber keine Hülffe erfolget ſondern das Feuer immer weiter umb ſich gefreſſen / hat er aus Ungedult das Bild ins Feuer geworffen und geſaget: Wilt du uns nicht helffen / ſo hilff dir ſelbſt / und löſche.** Quod verò miracula attinet, quæ à ſanctis edita tum Pontificii, tum Moſcovitæ gloriantur, quemadmodum Olearius p. 22. commemorat, quòd in Ruſſia à Monacho quodam in templi atrium introductus fuerit, in quo varia Nicolai miracula ad parietes depicta apparuerint, quibus etiam miraculis opinionem illam ſuam erroneam de ſanctorum defunctorum patrocinio ſtabilire fatagunt, de illis poſtmodùm agetur pluribus. Denique de Angelis rectè omninò Moſcovitæ ſentire videntur, niſi, quòd vanè ſibi perſuaſum habent, Dæmonem ſuffitu propulſari poſſe, teſte Oderbornio ep. ad Chytræum, decepti fortè apocrypho illo teſtimonio ex libro Tobiæ. Priusquàm ad alia pro-

grediar, unicum hoc monendum duxi, quòd ſicuti Moſcovitæ minùs rectè ſtatuunt, quòd *autumno conditus mundus ſit*, (quâ de cauſa etiam d. 1. Septemb. novi anni feſtum ſolenniter celebrare ſolent, ceu eleganter ſolennitatem illam delineavit Dn. Olearius Itin. Perſ. p. 37. 38.) cujus contrarium rectiùs adſeruerunt tùm veteres, Irenæus lib. 5. p. 326. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 14. p. 211. Ambroſius lib. 1. Hexaëm. c. 4. Athanaſius ad q. 17. Antioch. aliique plures, tùm recentiores, vid. B. D. Gerhardus Diſpp. Iſag. L. de Creat. c. 8. §. 7. Elias Reusnerus in Enucl. ſeptem Qq. Illuſtr. q. 1. docentes, quòd verno tempore mundus conditus ſit. quemadmodum etiam illuſtri Scaligero ita ſententia hæc arriſit, ut Lib. V. de Emendat. Temp. c. 1. p. 198. ſcribere non dubitârit, *quòd aliter putare, ſuo judicio ſit longè longèque à rationis regione, ut Lucretius loquitur, aberrare:* ita illi ipſi Moſcovitæ circa numerum annorum à mundo condito haut leviter errent, quippe à mundi, ut ita loquar, incunabilis ad præſentem annum numerantes annos 7173. Cujus quidem erroris fundamentum eſt, quòd juxta cum Græcis à M. C. ad annum Chriſti, annos numerent 5508. cùm ſaltem numerandi ſint 3962. ceu B. Lutherus ac Philippus Melanchton ſupputationem inſtituerunt, quos ſequitur etiam B. D. Chemn. Harm. Evang. c. 8. p. 89. vel juxta B. D. Helvicum in Theatr. Chronol. ac Sethum Calviſium 3947. vel juxta Joh. Picum Comitem Mirandulanum, quem ſequuntur Buchholtzerus, Dreſſerus, Reusnerus & alii, 3970.

CAP. VI.

De Prædeſtinatione ſeu Electione, & Reprobatione.

QUod ſi Moſcovitæ in clarâ Scripturæ S. litera, quæ univerſalem Patris cœleſtis miſerationem, univerſalem Filii DEI ſeu Chriſti redemptionem, ac univerſalem tandem Sp. S. in

in verbo Evangelii vocationem satis ac super adstruit, ceu hæc ex Prov. 1. v. 24. Esa. 65. v. 2. Matth. 11. v. 28. cap. 28. v. 19. Actor. 17. v. 30. illa ex Esa. 53. v. 6. Johan. 1. v. 29. Rom. 5. v. 18. 19. cap. 8. v. 32. 2. Corinth. 5. v. 14. 1. Tim. 2. v. 6. Ebr. 2. v. 9. 1. Joh. 2. v. 2. ista ex Joh. 3. v. 16. Rom. 11. v. 32. 1. Tim. 2. v 4. 2. Pet. 3. v. 9. patet, simplici fide acquiescunt, nec scrupulosis disputationibus, quas aliàs non aversantur solùm, sed severè quoque prohibent (ceu ex Oleario patet, qui in Itin. Pers. p. 275. refert, quòd cùm aliquando Nicseno Novogardiæ Monachus quidam Russus cum Pastore Lutherano de Religionis negotio sermonem instituisset, jussu Patriarchæ, quamprimum hic illud rescivit, captivus Moscuam ductus fuerit, quæsitumque ex eo, cur ausus fuisset toties cum Sacerdote Lutherano conversari, ac de Religione disputare. Cui verò cautus ille Monachus egregiè obviam ivit, prætendens, quòd Sacerdos Lutheranus Russicam amplecti religionem velit, seque spe teneri in dubiâ, fore ut proximè ille convertatur. quo astu miser ille evasit, haud dubiè graves aliàs daturus pœnas.) dubitare vix licet, quin illi ipsi circa hoc doctrinæ caput orthodoxè sentiant. Cumprimis verò notabile est, quòd desperationem, ad quam absolutum reprobationis decretum latam viam aperit, Moscovitæ vetent, dictitantes, iram DEI brevissimam esse, qui & enormia flagitia condonet, eaque oblivione deleat sempiterna, ceu refert Oderbornius in Vita Joh. Basilidis lib. 1.

CAP. VII.

De Imagine Dei in primo homine.

TEstatur modò memoratus Oderbornius l. c. quòd Moscovitæ de fidei articulis communem cum Græcis alant opinionem, & originalem quidem lapsum nobiscum vehementissimè

tissimè deplorent, naturam hominis extremè corruptam esse adserentes : ita ut in locum Imaginis DEI, sanctitatis, veræque justitiæ nunc contemtum Numinis, injustitiam, impietatemque successisse opinentur. Quæ si Moscovitarum de Imagine DEI doctrina est, facilè sanè admitti ea potest. Nec referunt aliàs Auctores, qui de rebus Moscoviticis scripserunt, ferè quicquam, ex quo patescat, quòd heterodoxas illi opiniones hic foveant. Non est igitur, cur prolixus hic esse velim.

CAP. IIX.

De Peccato tum originali, tum actuali.

CUm Moscovitæ non solùm Psalmum quinquagesimum primum, in quo sedes doctrinæ orthodoxæ de peccato originis habetur, & eum quidem solum libellis suis Catecheticis inserant, inque eo disertè cum Davide sua lingua confiteantur: СЕБО ВЪБЕЗАКОНІИ ЗАЧАТЪЕСМ, И ВЪ ГРѢСѢХѢ РОДИ МАМТИ МОА. i. e. *Ecce in peccatis conceptus sum & in peccatis calefecit me mater mea :* verùm etiam inter alias eorũ preces hæc legatur oratio : *Domine remitte nobis peccata* ВОЛЬНАА, И НЕВОЛЬНАА. ЮКЕВЪ ДЪЛЕИСЛОВѢ. ЮЖЕВЪ ѸМѢ, И ПОМЫШЛЕНІИ. i.e. *voluntaria, & involuntaria :* (τὰ ἑκούσια καὶ ἀκούσια) *quæ in opere & verbo ; in scientia, & ignorantia &c. sc. commisimus.* sane in articulo de peccato orthodoxè sentire, adeoque nec veteribus & Pelagianis & hodiernis Socinianis, (qui de peccato originis minùs rectè sentiunt, sed statuunt, quòd Adami peccatum exemplo tantùm & imitatione, hautquaquam verò carnali generatione posteris nocuerit ;) nec Pontificiis, docentibus, quod peccata quædam naturâ suâ venialia sint, nempe involuntaria, seu prava concupiscentia in renatis reliqua, antequam ad eam accedat consensus, affines esse videntur. Accedit, quòd de illis ipsis Paulus

lus quoque Oderbornius in Vita Johannis Basilidis testatur, *quòd originalem labem nobiscum vehementissimè deplorent, naturam hominis extremè corruptam esse adserentes; ita ut in locum imaginis DEI, sanctitatis, veræq; justitiæ, nunc contemptum Numinis, injustitiam impietatemq; succesisse opinentur. Ajunt*, scribit idem de iisdem, *nonesse in carne nostra bonum omnesq; homines in tenebris & densa ignorationum nocte sepultos violare mandata DEI, & ex pravo corde, tamquam ex perenni fonte, omnium malorum rivulos descendere. Ideoque opus esse, ut infantes in luminis auras editi statim Christo offerantur, mysticæq; ablutionis Sacramento imbuantur. &c.* Neque tamen desunt, quæ quantum ad articulum de peccato, jure in Moscovitis reprehendi possunt. Etenim 1. cùm ex Decalogo, tanquam lucido quodam speculo peccata Deique adversus ea ira cognoscantur, judicari facile potest, quòd admodum obscuram vulgus Moscovitarum de peccatis horumque gravitate habeat notitiam, dum nempe Decalogum Mosis minùs norunt. Testatur hac de re Clemens Adamus, quippe cap. de Relig. Moscovitarum disertè scribens: *Orationem Dominicam decimus quisque haut novit. At Symbolum Apostolicum & Decalogum Mosis nemo, aut admodum pauci. Ajunt enim rem tam arcanam & sacram, in vulgus propalari non oportere.* Quam ipsam de Moscovitis relationem suo quoque confirmare calculo videtur Dn. Olearius in Itin. Pers. p. 308. remittens insuper eo in negotiô lectorem ad Guagninum c. 20. de Relig. Russorum. Nec facilè quoque de asserti hujus, quod Decalogi ignorantiam spectat, veritate dubitabit, qui resciverit, quòd cùm in libellis Moscovitarum catecheticis, quos inspiciendi facta mihi copia est, Litaniam, preces quibus peccatorum veniam à DEO petunt, orationem item Dominicam, Psalmum quinquagesimum primum, Symbolum item Nicenum, quod ИСПОВѢДАНІЕ ХРЕСТІАНСКІА ВѢСЫ i.e. *Confessionem Christianæ fidei* indigitant, item Ave Maria &c. exhibeant, de Decalogo tamen ne γϱυ in illis conspiciatur.

2. Legem DEI moralem etiam quoad obligationem per Christum sublatam esse censent. Ita enim rursus Clemens Adamus d. l. *Ajunt*, *Decalogum Mosis sanguine Christi antiquatum esse*. Verùm distinguere debebant 1. inter legem *moralem*, & *ceremonialem*. Hanc à Christo, promulgato novo fœdere, antiquatam sive abrogatam esse, rectè asseritur, quemadmodum etiam Apostolus Ebr. 8. v. 13. ex Jerem. colligit; legem verò moralem abrogatam esse negatur, cùm contrarium Scriptura Sacra, vide Baruch. 3. v. 39. Matth. 5. v. 17. Rom. 2. v. 14. testetur. 2. *inter liberationem à lege*, ratione *condemnationis*, *rigorosæ exactionis*, *justificationis* & *satisfactionis*, & ratione *obedientiæ*, *sanctæq;* juxta legem conversationis. Priori modo à lege morali à Christo nos liberatos esse, facilè largior, idque etiam ex Rom. cap. 6. v. 14. c. 7. v. 6. c. 8. v. 1. Gal. 3. v. 13. patet: posteriori verò nego, idque ex Matth. 5. v. 17. Rom. 3. v. 31.

3. Peccata quædam graviora, vel planè pro peccatis ab illis haberi non videntur, vel certè non satis severè apud eos puniuntur. De adulterio quidem Joh. Faber scriptor Pontificius in de Relig. Mosc. testatur, *quod major fortassis apud illos abominatio ejus sit; quàm apud suos* (seu Pontificios.) *Illud enim summâ execratione Moscovitas detestari & persequi solere.* (cum contrà apud Pontificios, & quidem à Gregorio P. R. inter minora crimina seu leviora delicta numeretur, ceu patet ex jure Canonico. lib. 2. Decret. Gregorii tit. 1. de judiciis cap. Etsi Clerici, quem errorem doctissimi Juris Interpretes, Jacobus Cujacius in Recitat. posth. ad c. 4. etsi Cler. ac Conradus Rittershusius Comm. ad Salvianum p. 337. meritò notarunt. Conferatur quoque de exasperanda adulter. pœnâ B. D. Gerhardus in disp. Acad.) Ast contrarium ex Oleario patet, qui Itin. Pers. p. 217. & 218. de Moscovitis refert, quòd ob adulterium capitali supplicio nemo afficiatur, imò quod nec adulterium censeatur, sed simplex tantum scortatio, si quis uxoratus cum alterius uxore rem habuerit; illud verò saltim

adulte-

adulterii apud eos veniat nomine, ubi quis alterius uxorem matrimonio sibi jungit. Adulterium verò fustigatione saltim nec non incarceratione per dies aliquot in cœnobio, puniri, addit. Huc spectant quoque ea, quæ in Canonibus Joh. Metropolitæ, quos Herbensteinius Baro Itinerario suo p. 255. inseruit, habentur. in illis verò inter alia & hic canon legitur: *Si maritus relictâ priore uxore, alteram duxerit, vel uxor alteri nupserit, ad communionem, nisi ad matrimonium redierit, non admittatur.* Sic apud eundem in Qq. Cyrilli cujusdam ad Episcopum Novogardiensem p. 26. proponitur Quæstio: *An uxorem non habenti Sacerdoti Eucharistia porrigenda sit?* ad quam hoc modo respondetur: *Dummodo per integram Quadrageſimam cum nupta alterius, aut bruto* (nam & hoc vitium non infrequens apud Moscovitas, teste Oleario Itin. p. 193. nec capitali tamen supplicio dignum censetur, ceu refert Autor Syntagm. de Re milit. & civili Moscorum, apud Buxhorn. p. 259.) *non coieret.* De *fornicatione* autem, satis frequenti apud illos vitio (cùm nimis in Venerem proclives & impudici Moscovitæ sint, annotante Oleario Itin. Pers. p. 192. 193.) Jesuita Possevinus, ac Johannes Sacranus Theologiæ Magister & Cracovienſis Ecclesiæ quondam Canonicus in Elucidario c. 2. err. 31. testantur, quòd persuasum Moscovitis sit, *fornicationem simplicem non esse mortale peccatum.* Ast sicut tum scortatio, tum adulterium, tum verò bestialitas gravissima peccata sunt, ceu patet ex Deut. 27. v. 21. 1. Corinth. 3. v. 17. Ebr. 13. v. 4. Rom. 1. v. 26. 1. Corinth. 6. v. 9. quibus etiam in ipsa lege divinâ graves constitutæ pœnæ sunt. vide Lev. 18. v. 23. c. 20. v. 10. 15. 16. (ut proinde minimè Magistratus Christianus peccet, sed rectè faciat, si adulterii ac bestialitatis criminis convictos capitali supplicio affecerit. quod contra Socinianos & Anabaptistas pridem à nostris Doctoribus evictum. Vide B. D. Chemnitium parte 2. LL. CC. p. 315. seqq. B. D. Grawerum in A. C. art. 16. p. 347. B. D. Gerhardum de Magistr. Polit. §. 304. seqq. B. D. Fewerbornium in Anti Oste-

ti Osterodo Disp. 27. alios) ita non habent Pontificii, cur magnopere hîc insultent Moscovitis, vel de Ecclesiæ suæ sanctitate glorientur. Quàm minùs enim Pontifices ipsi, Cardinales item aliæque Ecclesiasticæ personæ sanctitati studeant, vel ab hujusmodi sceleribus immunes sint, pridem à Dd. nostris ostensum. Vid. B. D. Gerhardum L. de Eccles. §. 262. seqq. B. D. Dietericum concione 5. supra cap. 3. Sapientiæ. Quæ impura Clericorum vita ansam dedit communi Canonistarum opinioni, secundùm quos *pro simplici fornicatione deponi quis non debet, quia pauci sine illo vitio inveniuntur*, ut habet Glossa Canon. Maxim. dist. 81. Taceo jam, quòd Johannes de la Casa publicè Venetiis sub prelo Trajano Nævi versus quosdam Italicos in detestandi sceleris Sodomitici commendationem ediderit. qui tamen postea Pontificis Romani Legatus à latere & Archi-Episcopatus Beneventanus creatus. Quod sceleratum factum Thomas Hardingus Resp. ad Apol. Angl. c. 2. d. 1. ita excusat, quòd nefario sceleri *adsentatorio orationis fuco odium magis ademerit, quàm laudem attribuerit.* Elegans certè excusatio! Illud quoque, si omninò Papicolæ de Ruthenicæ seu Moscoviticæ Ecclesiæ cum Romanâ perpetuâ consensione gloriari cupiunt, Moscovitæ cum Romanensibus commune habent, quòd incestuosas nuptias utrique approbent. Quemadmodum de Moscovitis Oderbornius in Epistola ad Chytræum de Russorum Religione refert, quòd frequentes apud eos incestuosi concubitus sint, quando nempe usu receptum, ut viri qui ex conjuge fato functâ masculam sobolem susceperunt, impuberi filio sponsam quærant, cùm quâ tamen illi dormiunt & liberos procreant. Nato deinde ex ephebis egresso novam nuptam à se constupratam & sobolem unà adducit Pater, ita inquiens: *Vides, fili, tuam conjugem & tuos liberos?* addit Oderbornius: *Patris scrotum si filio placet, accipit illud; si secus, prædam aspernantur, & de alia ducenda cogitat.* Quomodo verò & Pontificiorum doctrina incestas quo-

que

que nuptias excuſet & defendat : imò quomodo ipſi nonnulli PP. RR. in inceſtu deprehenſi fuerint, Dd. noſtri Orthodoxi dudum oſtenderunt. Vide B. D. Dietricum Concione 8. in c. 14. libri Sapientiæ, B. D. Meiſnerum contra Conſult. Leſſii p. 146. B. D. Gerhardum L. de conjug. §. 276. item L. de Eccleſia §. 263. Cæterùm quomodo inceſtæ nuptiæ pugnent cum verbo DEI, & quomodo conſtitutio divina Lev. 18. de gradibus prohibitis, ad legem moralem pertineat, itidem B. D. Gerhardus L. de Conjug. §. 291. oſtendit. Conf. quoque B. D. Walth. Centur. Miſcell. Theol. c. 53. ac B. D. Tarnov. lib. 1. de Conjug. c. 52. p. 267. ſeqq. Sed ut ad Moſcovitas revertar, noto porrò, quòd non in iis ſaltem delictis, quæ contra ſextum præceptum committuntur, coercendis admodùm negligentes illi ſint, verùm etiam quæ contra *quintum præceptum.* Indignatione juxta ac juxta ſimul riſu digna eſt conſvetudo ſive lex apud Moſcovitas olim introducta, cujus Oderbornius in Ep. ad Chytræum his meminit verbis: *In ſtatutis* ſeu legibus *ſcriptis Moſcovitarum hoc quoque ſancitum eſt: Homicidam, niſi in ipſo facto deprehenſus ſit, quinque florenis vitam redimere poſſe. Homini autem, qui alterius canem occiderit, mulctam decem florenorum irrogandam eſſe.* Utinam verò nec apud nonnullos eorum, qui noſtræ tamen religione addictos ſe eſſe gloriantur, peſſimus ille mos olim inoleviſſet, quem tamen jam abrogatum eſſe opinor. ſicut & apud Moſcovitas ſeveriùs jam in homicidas molitioſos animadvertitur. Refert enim Olearius Itin. Perſ. p. 277 quò diſtiusmodi homicidæ carceri includantur, ac poſt ſex ſeptimanarum pœnitentiam decollentur. An vero ab hac lege nec illi exemti ſint, qui diverſæ religionis, puta Romanæ, hominem malitioſè extra belli caſum interfecerit, non auſim certi quid affirmare. Refert enim Joh. Sacranus Elucid. c. 2. a. t. 24. *quòd dicant Moſcovitæ, populum ſuum mereri ac magnæ indulgentiæ participem fieri, quoties quis hominem catholicum obedientiæ Romanæ interemerit.* Quæ ſi vera ſunt, certè maximus eorum error

est, cùm aperte pugnet cum constitutione divino Gen. 9. v. 6. add: Matth. 26. v. 51. Apocal. 13. v. 10. Gal. 5. v. 21. De *fraudibus & perjuriis* faciliùs adducor, ut credam, quæ de Moscovitis refert allegatus modò Sacranus, d. l. scribens, *Falsò jurare adversus inimicum, & præcipuè contra virum Romanæ professionis, non esse peccatum dicunt. Similiter & decipere, damnificare ac fraudare eundem.* Sic etiam de usuris (& quidem mordentibus: nam de cœteris nulla est quæstio, cum in nostris quoque Ecclesiis approbentur. Vid. Dn. D. Carpzovium Jurisprud. Eccles. lib. 2. tit. 20. dist. 319. v. 3. seqq.) de quibus itidem Sacranus l. c. error 31. Conf. in eandem rem Olearius Itin. Pers. p. 186. 187. 272. alii.

4. Quando pro peccatis, & quidem mortalibus habent, quæ neque in se mala sunt, nec ullibi in Scriptura sacra interdicta, & si fortè alicubi interdicta, non ad moralem, sed ceremonialem legem spectant, quæ in N T. abrogata. Hujus generis est illa constitutio, cujus Joh. Sacranus c. 2. Elucid. err. 28. meminit his verbis: *Christi fideles peccare moraliter dicunt, quòd barbam radant.* Magnus quidem barbæ non solùm apud Moscovitas, de quibus consulendus Olearius est Itin. Pers. p. 179. sed apud alios quoque populos (de Ebræis vid. Levit. c. 19. 27. ac c. 21. v. 5. de Romanis Cicero lib. 2. de legibus ac Plinius lib. 11. H. N. c. 37. de aliis alii.) honor semper fuit, sed tamen num propterea Moscovitæ pro mortali habeant peccato, barbam radere, penè hæreo, cùm aliàs nullus Autor, qui de Moscovitis scripsit, tale quid commemoret. Si tamen Moscovitæ in eâ sunt opinione, hausisse illud videntur ex constitutione, sive divina Levit. 19. v. 27. ubi prohibitum populo Israelitico legimus, ne in rotundum attondant comam, nec barbam radant; sive primitivæ Ecclesiæ, de qua legi Clemens Romanus lib. 2. Constit. c. 3. ac alter Clemens, nempe Alexandrinus lib. 3. Pædag. c. 3. & 4. possunt. qui posterior disertis affirmat verbis, nefas esse barbam

vellere,

vellere, siquidem pulcritudo congenita & generosa non omninò denudanda. Quid quod Epiphanius hæresi 80. ab Apostolis statutum scribat, ne capillus nutriatur, nec barba radatur; quod decretum Concilium Carthaginense IV. c. 44. renovasse dicitur. Gregorius tamen Magnus lib. 8. ep. 10. radi barbam jussit. Quicquid hujus rei sit, certum est, quòd lex illa de barba non radenda Levit. 19. v. 27. fuerit merè Leviticа, adeoque Christianos in N. T. non obliget. Ut proinde minimè peccet, nedum mortaliter, si quis contrà fecerit. Idem habendum de altera constitutione Moscovitarum. puta de non *manducando suffocato & sanguine*, itidem sub metu mortalis peccati. Vide Sacranum l. c. it. Possevinum de rebus Mosc. p. 42. Constat quidem, quòd in V. T. Deus id generis leges tulerit, vide Levit. 17. sed ad Leviticas & ceremoniales leges, quæ in N. T. abrogatæ sunt, easdem pertinere novimus. Nec obstat, quòd etiam in N. T., puta Actor. 15. v. 29. talis constitutio fuerit repetita. Sciendum enim, quod Constitutio illa Apostolica primitivam saltem concernat Ecclesiam, ubi conjungendi erant credentes gentiles cum Judæis, adeoque lacte quasi adhuc nutrienda erat Ecclesia. Talem verò constitutionem etiamnum, postquam ex utrisque jam una facta Ecclesia est, eademque satis nunc adulta, tanquam absolutè necessariam obtrudere, ita, ut sine peccato mortali observatio ejus intermitti nequeat, perinde est, ac si quis virum adultum lacte semper nutriendum esse exinde probare velit, quoniam eidem infanti fugendum fuit exhibitum. Fuit autem lex illa merè posita ac temporalis, quæ remoto scandalo aliove periculo neminem ampliùs obligat, quippe cùm Ecclesia eam abrogaverit, sicuti etiam abrogare jure potuit. Vide omninò B. D. Waltherum Cent. Miscell. Theol. p. 283. & 446. item Harm. Biblic. ad d. l. Act. 15. 29. B. D. Konig. Vind. c. Sacr. Loc. qui ipsi etiam Autores ostendunt, quòd jam olim quoque in quibusdam Ecclesiis constitutio illa constantissimè fuerit observata,

vata. In specie de Armenis B. D. Walthierus in Harm. Bibl. l. c. memorat, quòd adhuc hodiè observationem illam retineant. Unde hoc habeat, non liquet. refert aliàs Vitriacus Hist. Orient. c. 79. de illis, quòd abstineant ab esu immundorum animalium. An etiam ab esu suffocati & sanguinis, non addit, nec commemorat quoque Brerewodus in Scrutinio Relig. ubi de Armeniis agit.

5. *Quod homo dormiens peccare non possit.* Ita de illis tradit Sacranus in Elucid. c. 2. err. 30. Quod v. etiam homo domiens peccare possit, ostendit B. D. Gerhardus Comment. in Deut. cap. 23. p. 1395.

CAP. IX.
De Libero Arbitrio.

QUandoquidem Moscovitæ, teste Oderbornio, in vitâ Joh. Basilidis originalem labem nobiscum deplorent, naturamque hominis post lapsum extremè corruptam esse fateantur, (id quod etiam ex cap. proximè præced. de peccato quodammodo patescit,) cogitare quis posset, quòd nullum hîc foveant errorem. Clarè autem idem Oderbornius libr. 1. de Vita Joh. Basilidis testatur, *quòd Moscovitæ somnio de liberi Arbitrii valore multum tribuant.* Licet verò ipse non commemoret, in quo L. A. viribus nimium tribuant, videtur tamen eô respicere, quòd errorem illum fovere illi dicuntur, *posse hominem perfectam legi divinæ præstare obedientiam.* Colligunt hoc Autores ax discursu Magni Moscoviæ Ducis apud Lasizium in Theologia Moscovitica, è quo patescat, statuere illum, adeoque & Moscovitas communiter, *post sumtum Baptismum fieri hominem expertem peccati, ac velut infantem suo ex lavacro ablutum, cui jam servanda sint omnia præcepta, alioquin peccanti nihil profuturam Christi nativitatem.* Quod si verò homo post Baptismum potest servare omnia præcepta, sequitur, quòd perfectum

ctum in rebus spiritualibus habeat liberum arbitrium. Ast sciendum, quòd licet homo post conversionem sit liber à servitute peccati, Johan. 8. v. 36. Rom. 6. v. 14. 18. 1. Corinth. 15. v. 10. 2. Corinth. 3. v. 17. Ephes. 2. v. 5. non tamen sit liber à miseria. adeoque non tanta renatis tribui perfectio & libertas debet aut potest, quâ legem DEI perfectè possint implere. Id quod homini post lapsum impossibile, ceu dudum contra Pontificios, Photinianos & Weigelianos à nostratibus evictum, & quodammodo ex dicendis de Lege Dei patebit. Esto igitur

CAP. X.

De Lege Dei.

Multis circa præsentem articulum Moscovitæ errant modis. Statuunt enim

1. Decem Præcepta Mosis esse abrogata, præter hæc duo: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto pectore, & proximum tuum, uti te ipsum, ceu disertè affirmavit magnus Moscoviæ Dux apud Lasizium p. 32. 59. 126. Nec est, quòd aliquis dicat, loqui Moscovitæ Ducem non de legibus *moralibus*, sed *ceremonialibus*. Etenim contrarium produnt ipsa ejus verba, quæ de *decem Mosis præceptis* seu de Decalogo Mosaico agunt. Jam verò licet aliquibus Decalogi præceptis appendices quædam adjectæ sint, quæ ad ceremonialem pertinent legem, non tamen ob harum abrogationem ipsa statim decem Mosis præcepta abrogata dici possunt. Dicit quidem & Salvator noster Matth. 22. v. 37. seqq. *quòd in duobus his mandatis: Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde &c. item: Diliges proximum tuum perinde atque te ipsum, tota lex & Prophetæ pendeant.* (quo etiam forè Moscoviæ Dux respexit:) sed non dicit, quòd decem præcepta Mosis abrogata sint: imò potiùs expressè apud eundem Evang. Matth. c. 19. 18. præcepta quædam Mosaica ordine ex Decalogo recenset. Ut ita magnum discrimen conspiciatur

inter Christi & illam magni Moscoviæ Ducis sententiam. Non fugit quoque nos illud Apostoli Rom. 13. v. 8. *qui diligit alterum, legem implevit.* Non verò hinc inferendum: ergò Decalogus seu Decem præcepta Mosis sunt abrogata. Quomodo enim proximum nostrum diligere debeamus, in Decalogo, ceu in speculo quodam cernere possumus. Quando igitur Moscovitæ Decalogum Mosaicum abrogatum esse volunt, prout etiam apud eosdem, teste Clemente Adamo in de Moscov. Relig. Decalogus ita exolevit, ut illum ipsum *nemo* aut *admodùm pauci noverint.* manifestum est, quòd nec rectam illius legis Summæ. *Diliges Dominum &c.* habeant intelligentiam, nec ipse Decalogus multum eis curæ sit.

2. Per *proximum* in Verbis Christi & Apostoli intelligi saltem amicos seu ejusdem fidei socios. Si nempe vera sunt, quæ de illis Sacranus in Elucidar. cap. 2. errore 26. refert, puta, *quod falsò jurare adversùs inimicum, & præcipuè virum Romanæ professionis non sit peccatum. Similiter & decipere, damnificare, ac fraudare eundem.* item errore 24. *quòd populus suus mereatur ac magnæ indulgentiæ particeps fiat, quotiens quis hominem catholicum obedientiæ Romanæ interemerit.* Quæ si Moscovitarum sententia est, minimè certè genuinam mandatorum Christi habent intelligentiam, quippe disertè præcipientis, ut etiam *inimicos diligamus*, Matth. 5. v. 44. & licet in Vet. Test. concessum, imò mandatum fuerit, ut idololatræ capitali afficerentur supplicio, in Novo tamen Testamento alia ratio est, ceu ex Esa. 2. v. 4 c. 11. v. 7. 8. 9. Matth. 13. v. 30. Luc. 9 v. 54. 1. Timoth. 6. v. 5. patet, ac satis etiam à nostratibus evictum, ceu Excell. Dn. Præses Decad. 18. Thes. Theol. §. 1. lit. d. ostendit. Haut verò est, quòd Pontificii hîc Moscovitis ob errores hos insultent: quippe in eodem prope cum illis hærentes luto. Quem enim fugit communis Jesuitarum doctrina, quòd hæreticis non sit servanda fides. quam licet sententiam hodierni Jesuitæ nimium quantum à doctrinâ suâ abesse clamitent, satis tamen à

nostra-

noſtratibus oſtenſum, quod meros fumos vendant. Vide B. D. Gerhardum L. de Magiſt. Polit. §. 209. Quod verò iidem etiam doceant, hæreticos ut tales, (h. e. ſi vel maximè non fuerint blasphemi ac ſeditioſi, nam de his non eſt quæſtio.) capitali ſupplicio afficiendos eſſe, ſatis loquitur eorum praxis. quin & eorumdem doctrina. quâ de conſulantur B. D. König Vind. Sacr. L. 65. B. D. Bald. in Orat. de modo convertendi homines Papiſtico, B. D. Keslerus in Methodo hæret. convertendi part. 1. B. Gerhardus Confeſſ. Cathol. lib. 1. Gener. part. 2. c. 19. §. 2. & L. de Mag. Polit. §. 314. ſeqq. Excellent. Dn. Præſes Analect. in Matth. p. 672. & 798.

3. Legem à renatis perfectè poſſe impleri. Colligunt hoc Moſcovitarum dogma Autores ex verbis Magni Moſcoviæ Ducis, quæ recitantur à Laſizio in Theologia Moſcovitica, & hunc videntur habere ſenſum, *quòd poſt ſumtum Baptiſmum homo fiat expers peccati, ac velut infans ſuo in lavacro ablutus, cui jam ſervanda ſint omnia præcepta, alioquin peccanti nihil profuturum Chriſti nativitatem.* Conſtat ſanè, quòd per Baptiſmum aboleantur peccata, haut quaquam verò, ut non ſint, ſed ne noceant. Licet proinde Dominium peccati tollatur per regenerationem, non tamen penitus homo redditur impeccabilis, ſed manet peccati fomes, quantisper homo vivit, adeòque nec perfectam Legi divinæ præſtare obœdientiam poteſt. ceu jampridem contra Pontificios ac Socinianos à Dd. evictum Orthodoxis eſt. Vide B. D. Feurb. in Anti-Oſtorodo p. 507. B. D. Gerhardum Confeſſ. Cathol. art. 23. c. 7. §. 3. aliosque Auctores ab Excellentiſſ. Dn. Præſide Decade XI. Theſ. Theol. §. 5. litt. g. adductos.

CAP. XI.

De Evangelio & Conſiliis Evangelicis ſive Votis Monaſticis.

REctè quidem ſtatuunt Moſcovitæ, *quòd nemo in peccatis ſuis deſperare debeat, cum Deus ſit ſummè miſericors,* ceu refert Oder-

bornius in Vita Joh. Basilidis. Utut verò fiducia in misericordia illa Dei niti pleniſſimâ Chriſti pro peccatis noſtris ſatisfactione debeat, haut ſatis tamen rectè per omnia de Chriſti merito & ſatisfactione ſentire illi videntur. Etenim licet Chriſtum ut Salvatorem venerentur, ejusque nomine audito cruce ſe ſignare ſoleant, memorante Oleario Itin. Perſ. p. 23. plurimum tamen ſanctiſſimo ejus merito derogant tum quando propriis ſuis operibus ſalutem aſcribunt, uti in C. 13. de B. O. oſtendetur, tum verò quando cultum divinum ſanctis defunctis exhibent, ceu ex cap. de Morte manifeſtum evadet.

Errant porrò circa præſentem articulum Moſcovitæ, quando Conſilia Evangelica cum Pontificiis ſibi confingunt, iisdemque nimium quantum tribuunt. Quem enim rerum Moſcoviticarum paullulùm gnarum fugit, Monachatum maximi apud Moſcovitas æſtimari. idque ex eo patet, quòd non ſolùm ingens Monaſteriorum apud illos numerus ſit, ſed quòd ampliſſimos etiam ea ipſa habeant reditus, quos vix quidquam magis auxit, quàm vana opinio, quaſi per vitam Monaſticam neſcio quam ſupereminentiam conſequi in cœlis poſſint. Cæterùm quantus Monaſteriorum, illorumque qui vitam Monaſticam amplectuntur, apud Moſcovitas numerus ſit, exinde judicari facilè poteſt, quòd teſte Neugebauero Hiſt. Polon. cap. 14. *tertiam fundorum totius Moſcoviæ partem Monachi teneant.* Quod ſuo etiam ex parte calculo confirmat Autor libri Gallici, cui titulus: Les Eſtats & Empires principautez du monde, p. 1187. ſcribens, *quod quis vix duo vel tria milliaria conficiat in Moſcovia, quin aliquod Monaſterium offendat.* Cumprimis verò de hac re etiam Dn. Olearius teſtatur in Itin. Perſ. quando p. 307. prodit, quòd *innumera hinc inde in Moſcovia ſint Monaſteria Monachorum ac Monialium, quorum plurima opulentis gaudeant fundationibus, in fertiliſſimis locis religionis ſita.* Plurima verò occurrunt in ſtatu illo Monaſtico, quæ jure merito reprehendi poſſunt. Etenim 1. improbandus eſt mos ille, quòd multi inviti in Monaſteria com-

compellantur. Teſtatur hac de re Dn. Olearius, in Itin. Perſ. p. 307. ſcribens, quòd quidem nonnulli paupertate preſſi in Monaſteria ſe conferant, alii quoque ob ingraveſcentem ætatem, vel etiam ob alias corporis infirmitates, nonnulli tamen eâ ſolùm de cauſa Monaſteriis includantur, quòd cum Conjuge non ſatis benè ipſis conveniat. Sic Paulus Oderbornius in Vita Joh. Baſilidis, Magni Moſcoviæ Ducis lib. 1. refert, quòd Baſilides, Johannis Baſilidis pater uxorem ſuam Salomeam, eò, quòd viginti ipſos annos in matrimonio habuiſſet, nec ſobolem tamen ex eâ ſuſcepiſſet, omni mundo muliebri pretioſiſſimisque inſignium gemmarum monilibus per ſacrorum Principem ſpoliatam, crinibusque abſciſſis in Monaſteriorum latebras ad Susdalienſes migrare juſſerit. Et licet vehementer miſera fœmina repugnaret, nil tamen effecerit. Patris factum imitatus filius Joh. Baſilidis, notus ille Tyrannus, cùm Johannem filium, ſcipionis ſtimulo à ſe læſum amiſiſſet, & Theodorum ad Regni gubernacula non admodum idoneum judicaret; matrimonium cum nobilibus aliquod puellis ſemel iterumque repetiit, easque, nî intra menſes aliquot prolem conciperent, in Monaſterium detruſit. memorat Daniel Printz à Buchav, S. Cæſ. Majeſtatis Conſiliarius in Narratione de Succeſſ. Moſcov. Principatus. Sicuti verò invitas mulierculas in Monaſteria Moſcovitæ detrudunt: ita pariter illis, quæ ſemel Monaſterium ingreſſæ ſunt, poſtquam tonſuram ſuſceperunt, nunquam exinde patet reditus. Exemplum hujus rei ſiſtit Olearius Itin. Perſ. p. 219. Atque hinc eſt, quòd graviter dolenterque tulerit Joh. Baſilidis, magnus Moſcoviæ Dux, B. noſtrum Lutherum monialem ſibi junxiſſe matrimonio, ceu legere eſt apud Oderbornium in dicti Tyranni vitâ lib. 1. quippe palàm dicens ad Magni Cymbrorum Ducis Concionatorem aulicum, Lutheranæ religioni addictum, *Lutheri dogma veritati vicinius omninò videri, illudque tolerari etiam poſſe, niſi Autor intempeſtiva vehementique eloquentiâ in unum Pontificiæ*

causa jugulum incumbens veterem sacrorum ordinem evertisset, sanctarumque literarum scientiam turpi transfugio, abjectâ imprimis cucullâ, & habitis cum sacra Virgine nuptiis obscurasset. Quâ quidem in re cum Papicolis facilè Moscovitas convenire, facilè equidem Joh. Fabro, in de relig. Moscovitarum scribenti, *quòd cum quis apud Moscovitas ingressus fuerit in Monasterium, nunquam in perpetuum quoque modo, quave indulgentia*, quæ tamen apud Pontificios quandoque locum habet, *ei liceat exire* largior. sed nego, quòd sive Moscovitæ sive Pontificii conveniant in hoc coacto cœlibatu cum Sc. Sacra. Vid. quæ prolixiùs hanc in rem differunt nostrates, B. D. Chemnitius part. 3. Exam. Concil. Trident. cumprimis cap. 5. B. D. Gerhardus Confess. Cathol. art. 19. cap. 4. §. 1. B. D. Cundisius in Not. ad Compend. Hutteri Loc. 26. Id quoque prædictô Pontificio Joh. Fabro largior, quòd itidem in tribus illis votis, puta obedientiæ, paupertatis & castitatis cum statutis Pontificiis Moscovitæ conveniant. In eo verò differre invicem videntur, quòd Monachi ac Moniales majori vigore apud Moscovitas, quàm apud Papicolas vota illa servare videantur. Apud hos enim quàm minus canonici & canonicæ sint, sed quàm maximè irregulariter vivant, passim testantur autores, ac pluribus etiam probant B. D. Gerhard. L. de Ecclesia §. 266. nec non Comment. in Poster. Epist. Petri c. 2. p. 268. B. D. Balduinus contra Patzmannum p. 467. seqq. aliique. De illis verò, puta de Monachis ac Monialibus apud Moscovitas, nullibi me legere memini, quòd vel stupris, vel adulteriis, similibusque sceleribus se contaminent, vel divitiis etiam nimium inhiare soleant. Id saltem de Monachis Moscovitarum Dn. Olearius in Itin. Persico pag. 197. testatur, quòd haud rariùs Monachus vino adusto sepultus inveniatur, ac alius quispiam Laicus. Confer. idem l. c. p. 308. De cœtero satis duram ac miseram vitam Monachos apud Moscovitas vivere, ὁμοθυμαδὸν propè Autores testantur. Alexander Guagninus in de relig. Mosc. disertè: Abbates, scribit, qui Igumeni,

meni, ac Priores, qui Archimandritæ dicuntur, & omnes Monachi duriſſimas moleſtiſſimasque leges & regulas præſcriptas habent; nullo ſolatii genere recreari eis conceditur. Omnes non ſolùm principis, ſed & cœterorum nobilium mandatis parent. Plures eorum ex Monaſteriis in eremum ſe conferunt, ibique in arctis tuguriolis aut ſoli aut cum ſociis manent, victumque de radicibus arborum & variis terræ herbis acquirunt. Idem ſuo quoque calculo confirmat Clemens Adami in Deſcriptione navigationis Anglorum. addens inſuper, quòd quoties alicujus monaſterii antiſtes concedit fato, princeps cœnobii bona invadat, armenta, greges, ſupelectilem, aurum, argentum (puta quod fortè ex eleemoſynis Monachi collegerunt, vel è reditibus ſuperfluis remanſit, vel quod laborando acquiſiverunt: etenim rhedarios quoque agunt Monachi, aliisque civilibus negotiis quandoque occupantur, notante Oleario Itin. Perſ. 308. rapiat) Cumprimis verò hoc feciſſe Tyrannus ille Joh. Baſilidis legitur. Vid. Herbenſteinius Baro in Moſcov. deſcript. Guagninus in Moſcov. Olearius Itin. pag. 122. Oderbornius libr. 1. Vitæ Joh. Baſilidis, alii. Sed ut eò revertar, unde digreſſus ſum, multis modis improbandus monaſticus ille Moſcovitarum ſtatus faciunt quippe contra eum ferè omnia, quæ in Monaſtico Papicolarum ſtatu reprehendere Theologi ſolent. quæ hîc repetere ſuperſedeo. Videatur B. D. Chemnitius in Exam. Concilii Tridentini ac B. D. Gerhardus in Confeſſ. Cath. ll. cc. B. D. Bald. ad Art. Smalk. Diſp. 21. Bb. Dd. Mylius, Grawerus, Lobechius, alii in A. C. ad art. ſextum Abuſuum.

CAP. XII.

De Pœnitentia & Abſolutione.

Cùm duæ ſalutaris *pœnitentiæ* partes ſint, *contritio*, in rectâ peccatorum agnitione, ſeriàque eorundem deteſtatione conſi-

consistens, ac *fides*, Christi meritum apprehendens. & verò utrumque Moscovitæ admittant, quin etiam in vera & salutari pœnitentia requirant, meritò eorundem hic approbanda doctrina est.

Cæterùm *confessionem* peccatorum coram Sacerdote quod attinet, fatentur quidem Orthodoxi, quòd licet *privata* seu *auricularis* non sit absolutæ necessitatis (sicuti & iidem *articularem* Pontificiorum, hoc est, quâ omnium & singulorum peccatorum, quæ memoriæ occurrunt, Confessio, Sacerdoti facienda, requiritur, pœnitus rejiciunt. Vide Aug. Confess. art. 11. nec non Bb. Dd. Grawerum, Mylium, Lobechium aliosque in d. l. it. B. D. Gerhardum Confess. Cathol. art. 16. cap. 4.) suo tamen non careat usu. Si eodem modo de necessitate privatæ Confessionis, quam apud illos in usu esse, Oderbornius de Vita Johannes Basilidis lib. 1. ferè in medio. it. D. Olearius Itiner. Pers. p. 309. aliique testantur, Moscovitæ sentirent, minimè sanè improbanda illorum sententia esset. Ast nimis hîc Papicolarum erroribus affines illi videntur. Etenim ut jam taceam, quòd omnium peccatorum commissorum specialem confessionem, quæ coram Sacerdote fieri debeat, exigant: plus sane ac par est satisfactioni, quam Sacerdos imponit, tribuere videntur. Sed Lectori haud ingratum fore spero, ubi adjecero modum, quod privatim confiteri Moscovitæ Sacerdotibus seu Poppis suis solent. Ita verò de illo Olearius d. l. Confessionem Russi ante S. Eucharistiam usum ad conversionem & reconciliationem cum DEO censent rem cumprimis necessariam. & quantum ad adultos infallibiliter præcedere S. Cænæ usum debet. Utut verò omnibus concessum sit, ut quocunque volunt tempore confessionem edere, S. Cœnâ uti possint: communiter tamen tempore Paschali id fieri consuevit ubi illi, qui S. Eucharistia uti cupiunt, die Veneris Confessionem edere, ac seq. die Saturni, qui Festum Paschatos præcedit, S. Synaxin accedere solent. Octiduo ante Confessionem,

nem, duris corpus castigandum jejuniis est, nec quicquam ferè cibi aut potus sumunt præter panem duriusculum ac potionem acidam, ita ut tormina inde sentiant. Ipsa verò confessio edi in templi medio debet coram Sacerdote, ubi confessarius oculos suos continuò defigere in certam aliquam, eum in finem illuc collocatam imaginem tenetur, omnia & singula peccata, quæ post diligentem meditationem memoriæ occurrunt, ordine recensere ac confiteri, vitæque emendationem promittere. Quo facto Sacerdos à peccatis illum suis absolvit, pro quantitate tamen delicti satisfactionis ei loco imponit, ut vel per certum temporis spatium jejunet, aliquot centum vel mille etiam vicibus coram imagine Patroni sui inclinet, ac solenne illud Moscovitarum ГОСПОДИ ПОМИЛУЙ id est, *Domine miserere mei* pronunciet: quin etiam, si maritus ille, ut aliquamdiu uxoris consuetudine abstineat. Quæ res Moscovitis, utpote maximè in rem Veneream proclives qui sunt, perquàm molesta: vel denique aliquantisper templum non ingrediatur, sed in ejus vestibulo subsistat. Quòd si peccatum Confessarii majus, quàm ut per memoratas satisfactiones expiari possit, tunc aquâ benedictâ, quæ Festo Trium Regum consecrari, eumque in usum in Templo diligenter adservari, & à Sacerdotibus carè divendi solet, abluere se tenetur. *Quod si factum, tum mandato divino apud Es. c. 1, 16. ex asse se satisfeciſſe opinantur, & à peccatis suis satis se mundatos.* Eadem ferè ratione, quâ Dn. Olearius, Confessionis ritum seu modum apud Moscovitas confitendi, jam antè quoque delineavit Alexander Guagninus, nisi memorans insuper, quòd licet Moscovitæ confessionem ex præscripto habeant, *eam tamen ad Dominos saltem pertinere agrestes dicant, sibi autem in DEum & Filium ejus Jesum Christum & Spiritum S. simpliciter credere, satis esse.* Refert præterea idem, quòd Confessarii signo crucis frequentiùs frontem pectusque & brachia, (de quo modo cruce se signandi, infra in Cap. de ritibus Ecclesiasticis agetur pluribus)

ribus) muniant, altoque cum gemitu consuetam orationem proferant: *Jesu Christe, Fili DEI, miserere mei.* Moscoviticè ІЕ ХЕ СНЕ БЖІА ПОМИЛУИ:

De fide in Christum docent iidem, teste Oderbornio l. c. quòd salutis fundamentum eam ponant, sed vivam, ideoque fieri non posse putent, ut quis bonorum operum excellentiâ destitutus DEO jungatur, & vivat. Pergit idem: Desperationem vetant, dictitantes, iram DEI brevissimam esse, qui & enormia flagitia condonet, eaque oblivione deleat sempiternâ.

Rectè sanè fidem vivam ad veram ac salutarem pœnitentiam Moscovitæ requirunt. Sed quando addunt, *quod fieri non possit, ut quis bonorum operum excellentia destitutus, DEO jungatur*, dubium videtur, quomodo fidem salutis, adeoque & salutaris pœnitentiæ fundamentum ponant. Quod si hoc volunt, quòd bona opera sint necessaria ad salutarem pœnitentiam ratione præsentiæ, sive quod non sit vera fides, quæ bonorum operum fructu destituitur; tantum abest, ut nos illis contradicamus, ut potiùs vehementer sententiam hanc approbemus. defendentes quippe contra Pontificios thesin illam, quod fides vera seu justificans nunquam sit sola, sive à Bonis operibus separata. quam thesin quoque B. D. Gerhardus Confess. Cathol. art. 23. c. 3. §. 3. prolixè contra Pontificios probat. Quod si igitur hoc sensu à nobis adseri, quòd sola fide nos justificemur, oppinantur, (id quod procul ambiguo magnus quoque Moscoviæ Dux Joh. Basilides persuasum sibi habuit, ceu ex Oderbornio lib. 1. in ejus vita patet.) næ vehementer falluntur. & qui hanc nobis sententiam attribuunt, magnâ nos injuria afficiunt. Id quod etiam pulcrè & intrepidè coram memorato tyranno adseruit Johannes Rocyta, qui Anno 1572. juxtà cum Sigismundi Regis Poloniæ legatis, quibus à Concionibus erat, in Moscoviam venerat, prout Oderbornius d. l. refert. Ex quo verò verborum supra adductorum, np. *quòd ne-*

mo possit salvari seu Deo jungi bonorum Operum excellentiâ destitutus, huic quoque potest esse sensus, quòd nemo possit veram ac salutarem agere pœnitentiam, nec salvari etiam, nisi perfectam legi divinæ obedientiam præstet, pro peccatis suis ipsemet si non in totum, saltem ex parte satisfaciat, tum vero propriis suis operibus mereatur peccatorum remissionem, justificationem & vitam æternam. quæ si Moscovitarum sententia est, (uti ex verbis Magni Ducis Moscoviæ, quando Joh. Rocytæ objecit, quòd graviter Lutherani errent, dum soli fidei justificationem adscribunt, cùm venturus sit Dominus judicare vivos & mortuos, qui redditurus unicuique mercedem secundùm opera sua. Jam, perrexit, si sola fides beatitudinem adferet sempiternam, quid illo opus est judicio? Cur toties in N. T. operum dignitas nobis inculcatur? quodammodo colligere licet) vehementer sanè errant. neque enim propria nostra satisfactio ac B. O. necessaria sive ad salutarem effic. pœnitentiam, sive ad ipsam consequendam salutem sunt *ratione efficientiæ*, quippe cùm Christus plenissimè ac solus pro peccatis nostris satisfecerit, opera nostra sint imperfecta, jam ante DEO debita &c. Unde nec vitæ etiam æternæ meritoria, ut in seqq. capp. pluribus ostendetur. Quo sensu verò Scriptura S. dicat, quòd secundùm opera simus judicandi, itidem ex dicendis patebit. Progredimur igitur ad

CAP. XIII.

De Bonis Operibus.

RECTÈ omninò inter Christianos etiam ac renatos bonorum operum urgetur studium, nec eliminanda ex Ecclesiâ lex est, ceu jam pridem contra Antinomos Dd. monuerunt Orthodoxi. Verùm sicuti ex operibus nemo justificatur, ita nec bona opera statuenda sive justitiæ sive vitæ æternæ consequendæ causa meritoria sunt. Errant igitur 1. qui *bonorum*

operum perfectionem statuunt. quippe cum omnis nostra justitia sit instar panni mulieris menstruatæ, Esa. 64. v. 6. Si igitur Moscovitæ, de quibus Oderbornius in vitâ Joh. Basilidis prodit, quòd statuant, *fieri non posse, ut quis bonorum operum excellentia destitutus DEO jungantur & vivat:* quemadmodum etiam ex Magni Moscoviæ Ducis discursu apud Lasizium nonnulli colligunt, in eâ fuisse illum sententiâ, *quod post sumtum Baptismum homo fiat expers peccati ac velut infans suo in lavacro ablutus, cui jam servanda sint omnia præcepta, alioquin peccanti nihil profuturam Christi nativitatem:* persuasum sibi habent, hominem renatum omnibus numeris perfectam obedientiam legi DEI præstare posse, graviter sanè falluntur ac fallunt. Quemadmodum in examinando tum Socinianorum, tum Pontificiorum illo errore jampridem ab Orthodoxis ostensum, ad quos Lectorem remitto. Consuli verò cumprimis hic possunt B. D. Hülsemannus in Anti-Hagero p. 112. seqq. it. 808. B. D. Chemn. Exam. Concil. Trid. part. 1. de B. O. q. 3. it. L. L. C. C. part. 2. p. 13. Dn. D. Calovius Socin. Proflig. p. 793. B. D. Gerhardus Disp. Acad. part. 2. p. 8. 18. 794. it. L. de Lege Dei §. 182. seqq. de B. O. §. 64.

2. Qui B. O. studium in confictis operibus, cujusmodi sunt cultus electitii, præcipuè positum censent. In hac sententia cum Papicolis Moscovitæ videntur conspirare. Ut ut enim quantum ad jejunii tempora invicem dissentiant: (unde etiam Joh. Metropolita Russiæ in Ep. ad P. R. contrariari dicit Canoni Clementis, quòd in Rom. Ecclesia jejunium in Sabbatho quoque observetur, item quòd de jejunio magno septimanam abscindant. Vicissim Joh. Sacranus Theol. Mag. & Cracov. Ecclesiæ quondam Canonicus in Elucid. c. 2. err. 27. in doctr. de jejunio aliquot Moscovitarum errores annotat.) in eo tamen pulchrè conveniunt, tum quòd plebem simpliciorem esurialibus feriis miserè torquent, tum quod exacto jejunii tempore largiter resarciunt, quicquid fortè sto-

macho

macho antè fuit subtractum. De Romanensibus res notissima est. Adeò ut injuriis propè in P. R. esse Johannes quidam, Russiæ Metropolita esse videatur, quando inter alia illi objicit, *quòd nimiam in edenda carne faciat suæ professionis hominibus licentiam, ac quòd propter carnium voracitatem homines ad se alliciat.* Huc spectat quoque calumnia illa Johannis Basilidis, Moscoviæ Ducis, quando ad Rocytam Lutheranum in hæc erupit verba: *Delectum ciborum & jejunia, corporis sanitatem animique vigorem conservantia, velut in odium Ecclesiæ rejicitis & damnatis; cum è contra Dominus vigilantiam & abstinentiam tantoperè nobis commendarit.* Cœterùm uti de jejunia rectè instituta minimè improbamus, ita è contra ea, quæ vel opinione meriti suscipiuntur, vel quibus corpus nimium excruciatur, vel quæ jejunia mox crapula excipit, rejicimus. Talia verò jejunia Moscovitarum ac Pontificiorum sunt. De Moscovitis claris id ipsum testatur verbis Oderbornius, quando in Ep. de Russorum Religione ad Chytræum inter alia scribit: *Feriis esurialibus plebs miserè obnoxia est. Cumque totus jam præteriit annus, vix paucis diebus illis carnes commendere licuit.* in Vita Johannis Basilidis scribit idem de Moscovitis: *Feriis esurialibus miserè sunt obnoxii. Cum jejunant, usque ad Solis occasum nec edere quicquam, neque bibere solent. Sequentibus tamen diebus turpi crapula & ingurgitatione abstinentiam benè compensant.* Quid quòd etiam illa nocte, quæ diem, quo jejunare tenentur, præcedit, binâ vel ternâ etiam vice de lecto surgere, ac carne se replere nonnulli soleant, quò nempe eo minori cum tædio sequentis diei molestiam perferre queant. Quam in rem consulatur Petrejus part. 6. Chron. Mosc. p. 675. Ita nempe Curios simulant ac Bacchanalia vivunt. Illud verò palàm fit, passimque etiam more apud Moscovitas receptum, *ut primo quadragesimalis jejunii septimanâ aquâ adustâ, medone, cerevisia ita se ingurgitent, ut vix mentis amplius compotes nescio quæ scelera non committant*, ceu refert Olearius in Itin. Pers. p. 309. Unde etiam patet, quid statuendum

de Joh. Fabri relatione sit, qui in de Moscovitarum religione de iisdem prodit, *quod apud illos septem hebdomadis abstinentia sive jejunium summa diligentia perficiatur, adeò ut hoc tempore nulli suorum hominum in perpetuum, ovis caseo & butyro vesci liceat.* Dubito, num ovum ovo similius, quàm modus celebrandi jejunium Quadragesimale apud Moscovitas, itemque apud Pontificios; de quorum jejunio cottidiana loquitur experientia. Cæterùm quid in Pontificiorum (adeoque etiam in Moscovitarum jejunio, ut qui eosdem propè cum illis hic fovent errores) desideretur amplius, ac quomodò etiam jejunia sint instituenda, passim ostendit B. Lutherus in Tomis Germanicis. Conf. quoque in eandem rem B. D. Hunnius de Apostasia Ecclesiæ Rom. §. 170. seqq. it. §. 423. seqq. B. D. Gerhardus C. C. art. 25. c. 2. §. 1, 2. 3. aliique Autores, à plurimum Reverendo Domino Præside in Analect. ad c. 6. v. 26. it. ad cap. 9. 14. Matth. allegati.

3. Qui bonis operibus vitam æternam obtineri posse confidunt. In hoc errore juxta cum Pontificiis ac Socinianis versari Moscovitæ videntur. Huc referri posse videntur ea, quæ jam ante ex Oderbornio retuli, referente, quod Magnus Moscoviæ Dux objecerit Joh. Rocytæ Lutherano, nostrates graviter errare, *dum soli fidei justificationem adscribunt, cùm venturus sit Dominus judicare vivos & mortuos, ac redditurus unicuiq; mercedem secundùm opera sua. Jam si sola,* subsumebant, *fides beatitudinem adfert sempiternam, quid opus est judicio? Cur toties in N. T. operum dignitas nobis inculcatur?* Ita Moscovita. At distinguendum hic inter *mercedem gratiæ*, & *meriti.* quando piis merces promittitur in cœlis, sermo est non de mercede debiti, cùm vita æterna sit χάρισμα τοῦ θεοῦ, Rom. 6. 23. sed de mercede gratiæ. Deinde distinguendum etiam inter dare piis vitam æternam, vel præmia in vita æterna *secundùm opera*, & dare propter B. O. ita ut bona opera sint vitæ æternæ meritum: hoc negatur, illud conceditur. At de hoc non est quæstio. Quando enim adserimus,

hominem sola fide justificari & salvari, tunc hoc volumus, quòd B. O. non sint causa meritoria vitæ æternæ. Sequitur

CAP. XIV.

De Justificatione.

QUos Moscovitæ in præsenti articulo foveant errores, ex hactenus dictis quodammodo liquet. Errant, quum negant, hominem solâ fide, justificari, adeoque & salvari, cùm tamen clarè hoc doceat Apostolus Rom. 3. v. 28. c. 4. 5. c. 11. 6. Gal. 2. 16. Ephes. 2. 8. 9. Tim. 3. 5. Et cumprimis notandum, quòd S. Scriptura diserte testetur, quòd homo *gratis coram DEO justificetur*. Vid. Rom. 3. 24. c. 4. 4. Ephes. 2. v. 6. Si porrò non solâ fide justificamur, & opera nostra bona habent rationem meriti respectu salutis nostræ, sequitur, quod fiducia in bonis operibus possit collocari, it. quod possimus intuitu mercedis, per operum merita obtinendæ, bona opera facere, quæ dogmata ceu erronea meritò à Dd. Orthodoxis rejiciuntur. Vid. B. D. Gerhardus in Conf. Cathol. art. 23. c. 8. item B. D. Chemnitius in Exam. Concil. Trid. Certè qui attendit, quàm superstitiosè Moscovitæ jejunia observent, (quam in rem multa exhibent Joannes Faber de Relig. Russorum ad Ferdinandum Regem Romanorum; Clemens Adamus in Anglorum navigat. ad Moscovitas, Dn. Phelavius in Annot. ad Angeli statum Eccl. Græcæ, p. 134. seqq. Herbensteinius Baro in Comm. rerum Mosc. p. 30. seqq. Alexander Guagninus in Moscov. descript. cap. 2. Paulus Jovius in Moscovia, Dn. Olearius Itin. Pers. p. 308.) persuadere sibi vix quicquam aliud potest, quàm quòd in Bonorum Operum, non solùm divinitus mandatorum, sed maximè etiam ab hominibus confictorum, merito magnam fiduciam illi ponant. Quando igitur magnus Moscoviæ Dux apud Lasizium p. 39. profitetur, statuere se, unicum sanctæ fidei fundamentum in

V. ac

V. ac N T. esse Christum, quem etiam habeat basim solidam: procul ambiguo non eo sensu, quo nos dicimus, Christum unicum salutis nostræ fundamentum esse, (quatenus nempe ipse solus pro omnibus nostris peccatis abundè satisfecit, cujus etiam pretiosi lytri solâ fide reddimur compotes,) adfirmavit: quippe cum itidem ibidem dicat, fidei & operum eandem esse utilitatem & salutem. Sed hæc etiam de præsenti articulo breviter monuisse sufficiat.

CAP. XV.

De Sacramentis tum in genere, tum in specie de fictis Pontificorum Sacramentis.

QUemadmodum vix quicquam æquè Papicolis curæ est, quàm ut simplicioribus persuadeant, quòd tum Græca, tum Orientales Ecclesiæ vel jam tum cum Romana Ecclesiâ amicè conspirent, vel unionem cum illa vehementer ambiant: Ita de Moscovitica quoque Ecclesiâ non desunt, qui quòd ipsa illa eandem unionem & conjunctionem anxiè affectet, vel persuasum sibi habent, vel aliis persuadere satagunt. In horum numero Paulus Jovius est, in præfat. Tr. de Moscovia scribens, *quòd non obscuri nominis Rex, sed qui numerosissimis extremi Aquilonis populis imperat* (loquitur de Magno Moscoviæ Duce Johanne Basilidis, tyranno ut truculentissimo, ita quoque maximè versipelli atque astuto) *in causa religionis omnibus cum Romanensibus conjungi sensibus, fœdereq; perpetuo colligari cupiat.* Ex quo verò inter dogmata cumprimis apud Pontificios creditu necessaria, hoc quoque est, quòd septem sint Sacramenta propriè dicta, quam doctrinam etiam Synodus Tridentina sess. 7. can. 1. sub anathematis comminatione omninibus acceptandam proposuit: inde occupatos Papicolas videmus, ut populis illis, qui Ecclesiam Romanam aversantur, doctrinam illam sensim

sensim instillent, vel orbi persuadeant, Ecclesias illas, quæ Pontificis R. aliàs statuta improbant, septem tamen agnoscere Sacramenta, Armenis quòd errorem illum instillare fategerint, ex libro, doctrina Christiana, à Petro Paulo Sacerdote Armeno in linguam Armeniam versa, inscripto, qui Parisiis Anno 1634. in lucem prodiit, satis patet. De Moscovitis, quòd septem credant Sacramenta disertis verbis affirmat Joh. Faber de Relig. Russorum ad Ferdin. Regem Romanum, & quidem *velut ea, quæ sine omni fraude promissionum suarum eum, qui pro Christiana pietate ipsis utitur, participem ac compotem faciant.* gratiæ puta Evangelio propriæ, adeoque ut Sacramenta propriè dicta. Sed nimis id scribit audacter, (& eadem veritatis specie, quâ paullò post adserit idem, *quòd Moscovitæ decem præcepta teneant, & quidem eadem autoritate, qua Mosi primò tradita sunt, quasi nunquam moritura, certi per verbum ejus, quòd venerit, ut impleret legem, minimè ut solveret.* cujus adsertionis contrarium supra ostensum.) cùm ipsimet reclament Pontificii Scriptores, ceu cumprimis de confirmationis, quod dicunt, Sacramento, evicit Dn. D. Siricius in Discursu Historico Theol. de Relig. Mosc. p. 24. Mirum verò, quomodo Moscovitæ matrimonium venditare pro Sacramento propriè ita dicto audeant (si id tamen faciunt: neque enim præter Joh. Fabrum Pontificium, qui subleste tamen fidei scriptor est, vix alius scriptor tale quid de illis affirmat.) cùm longissimè ei Monachatum, adeoque & cœlibatum præferant. quod haut quidem facere debebant, cùm cœlibatum pro Sacramento nemo habeat; jam verò Sacramenta, quippe media divinitus ordinata, per quæ promissionis Evangelicæ illi, qui sine hypocrisi istis utuntur, compotes redduntur, definiente ipso Fabro, meritò sunt magnifacenda: tantum abest, ut res aliqua, quæ nullibi à DEO mandata est, qualis status monasticus, & sic etiam cœlibatus, præferri illis debeat. Adde, quòd Moscovitæ actum matrimonii cum Pontificiis (perversè huc trahentibus illud Apostoli:

li : *Qui in carne sunt, DEO placere non possunt.* Vide Cardin. Bell. de Matrim. c. 5. §. adde ac confer *decernimus dist. 28. proposuisti 2. plurimos dist. 28.*) pro re per se impura seu pro immundicie ac pollutione habeant, adeò ut illis, qui proximè præcedente nocte uxorem cognovere, minimè concessum sit, ut templum ingrediantur, nisi priùs benè fuerint loti. imò qui religiosiores videri cupiunt, ne quidem si vel maximè etiam fuerint abluti, templum intrant, sed in vestibulo subsistunt. Quid quòd actum conjugalem exercere volentes, crucem, quæ in baptismo de collo appendi illis solet, priùs deponant, ac re peracta demum recipiunt: ceu hac de Moscovitarum consuetudine legi Olearius potest Itin. Pers. p. 219. confer. idem p. 214. De extrema quoque unctione itidem quidem Joh. Faber d. l. garrit, quòd apud Moscovitas in usu sit, ac pro Sacramento habeatur. sed fallit ac fallitur : nisi quis dicere velit, quòd Sacramenti mortui quoque capaces sint. Testatur enim de Moscovitis Scarga l. 2. Polon. quòd intolerando errore homini mortuo unctionem adhibeant. Et si quàm maximè viventibus unctionem quoque applicent, haut tamen ut Sacramentum, per quod applicetur homini gratia Evangelii propria, (isto verò fine Sacramenta institura sunt,) eam ægrotis adhibent, disertè quippe docentes, *unctionem extremam nullam adversùs peccati reatum medelam conferre posse, sed tantum ut medicinam languoris corporalis*, quomodo etiam Apostolus Jacobus c. 5. v. 14. (unde Papicolæ aliàs extremæ unctionis Sacramentum conficere nituntur) unctionem intellexerit, prout claris hanc Moscovitarum sententiam verbis Johannes Sacranus Pontificius in Elucid. errorum ritus Ruthenici c. 2. err. 14. prodit. Et rectè sanè Moscovitæ sentiunt, quòd Jacobus saltim de tali loquatur unctione, cujus effectus sit medela languoris corporalis, sivè ut ægrotus à corporis morbis sanaretur. hæc res enim ita clara est, ut nec Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus, nec Fevardentius, itidem Pontificius Scriptor, ire inficias potuerit. De

abso-

absolutione sive pœnitentia, quam Papicolæ itidem Sacramentum esse volunt; suprà jam tum egimus. ubi ostendimus, quòd apud Moscovitas articularis peccatorum confessio recepta sit. Non tamen hinc statim inferendum, quòd propterea pro Sacramento sive pœnitentiam sive absolutionem habeant. Adde, quòd Guagninus prodat, licet Moscovitæ confessionem ex præscripto habeant, *agrestes tamen in eâ sententiâ sint, quòd ad Dominos saltim ea sive ad Sacerdotes pertineat; sibi autem satis esse, in DEum, Filiumq. ejus Jesum Christum, ac Sp. Sanctum simpliciter credere.* Extant in libellis Catecheticis Moscovitarum preces, quas instar confessionis simplicioribus apud Moscovitas esse, & in iisdem Sacerdotem absolventem etiam acquiescere, veritati consentaneum est. harum una veste Latinâ induta ita sonat: *Condona, DEUS, delicta nostra, voluntaria & involuntaria, tum quæ opere ac verbo, in scientiâ & ignorantia, die ac nocte,* scilicet commisimus. *omnia condona mihi; quoniam bonus & misericors.* De ministerio Ecclesiastico itidem non sequitur, quòd licet apud Moscovitas in usu ordo quidam inter ministros Ecclesias sive clericos sit, ordo propterea statim pro Sacramento apud Moscovitas habeatur. præterea non in uno Moscovitarum doctrina de Ministerio Ecclesiastico à Pontificiorum sententia discrepat. uti paulo post ostendam. Pergo ad

CAP. XVI.

De Baptismo.

REcte circa præsentem articulum Moscovitæ faciunt 1. quando *Baptismum*, ceu initiationis Sacramentum omnibus ad salutem *censent necessarium.* loquor de *necessitate* non *absolutâ* (qui Pontificiorum error pridem rejectus à Theologis Orthodoxis est. Vid. B. D. Balduinus C. C. p. 392. seqq. it. contra Patzmannum p. 185. B. D. Lobechius in A. C. p. 167. 239. seqq. B. D. Gerhardus Confess. Cathol. art. 12. c. 1. §. unicâ, it. L.

it. L. de Sacramentis §. 55. B. D. Hülsem. in Anti-Hag. p. 267.) sed ratione *ordinationis divinæ*. An verò Moscovitæ, *si quisquam Sacramentum hoc neglexerit deriserit que*, *mortis pœna propterea talem affligant*, quod Joh. Faber in de Relig. ad Ferdinandum R. R. affirmat, aliis discutiendum relinquo.

§. 2. Quando *baptismum in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti* administrant. ceu clarè de illis testantur Olearius, Oderbornius, Faber, alii.

§. 3. Quando *Exorcismum* adhibent. modò hoc fiat ita, ne tanquam essentialis pars Baptismi urgeatur, sed tanquam libera quædam ceremonia, quam Ecclesia possit abrogare & in pias preces mutare, (quæ B. D. Gerhardi de Exorcismo sententia est, ceu patet ex L. de Baptism. §. 265. & 266. Conf. etiam B. D. König. Cas. Catech. p. 315. seqq.) habeatur.

4. Quando *Sal*, quod à Pontificiis adhibetur, item *lutum ex salivâ & pulvere* confectum, haud quaquam adhibent. quam Moscovitarum discrepantiam à R. Ecclesia Joh. Faber mitigaturus frustra scribit, *quòd sal &c. non admodùm receptum sit in Baptismo Moscovitis*. Dicere debuisset, quod planè non receptum sit. sanè Olearius, qui admodum curiosè Baptismi solennitates apud Moscovitas receptos descripsit, ne verbulo quidem hujusmodi gesticulationis facit mentionem.

5. Quando *patrinos adhibent*, qui promittant, quòd operam adhibere velint, quò infans, ubi ætas accesserit, in verâ fide imbuatur, ceu de his testantur Neugenbaurius, Olearius, Guagninus, Johannes Faber l. c. alii. Monet quoque Dn. Olearius, p. 781. quod non permittatur, ut, numerus patrinorum seu susceptorum binarium excedat. Porrò de patrinis consulantur Dn. D. Carpzovius Jurisprud. Eccles. lib. 2. tit. 17. dist. 268. n. 1. sequentibus, B. D. Bald. Cas. Consc. p. 413. seqq. alii.

6. Quando *circumcisionem*, quam Tartari, inter eos qui degunt ac Mohammedismo addicti sunt, studiosè adhibent, *rejiciunt*. Melius hac in parte sentientes Abyssinensibus, qui

cum

cum Christiani sint, præter Baptismum tamen circumcisionem quoque adhibent: sed minùs rectè. Vide B. D. Gerhardum de Bapt. §. 19. sequentibus.

7. Quando etiam *infantes baptizant.* quòd enim Pædobaptismus verbo Dei ex asse conformis sit, pridem contra Anabaptistas pulcrè docuerunt Orthodoxi. Vide B. D. Chemnitium part. 3. L. L. C. C. p. 145. 146. B. D. Lobech. in A. C. p. 244. seqq. B. D. Schlüsselburg. lib. 12. Catal. Hæreticorum, B. D. Baldu. contra Pazm. p. 208. B. D. Gerhardum L. de Bapt. §. 18. D. Rittershus. ad Salvianum. p. 301.

8. *Quando in templis baptismum administrant.* id quod tamen non ita necessarium credunt, quò minus etiam privatis in ædibus administrari posset, quando nempe infans imbecillior fuerit, aut nimia loci longinquitas obstiterit, ceu notant Olearius ac Neugenbaurius ll. cc.

Minus rectè verò circa articulum hunc ac Sacramentum Baptismi versantur Moscovitæ.

1. Urgentes, quòd *trina immersio sit absolutè necessaria.* ceu de hoc Moscovitarum errore testantur Neugenbaurius de Moscis c. 12. p. 82. Joh. Faber l. c. Baro Herbenstein. & alii. Atque hoc etiam inter alias præcipuè fortè causa est, quòd cùm aliàs ex symbolo Niceno disertè confiteantur: ΜΙΑΝ ΒΑΠΤΙΣΜΑ ΕΙΝΑΙ ΚΡΕΨΕΝΙΕ i. e. *credo unum Baptisma*, (quemadmodum etiam ex hoc ipso fundamento, confirmationis quod Pontificii fingunt, Sacramentum rejiciunt, ceu videre est apud Guagninum c. 2. ita argumentantes: *Si unum Baptisma, unum etiam Chrisma.*) eos tamen, qui sive ex Pontificiis, sive ex Calvinianis, sive etiam ex Lutheranis illorum se cœtui adjungere cupiunt, denuò baptizant, ceu multis hujus ritus meminit Dn. Olearius l. c. p. 284. seqq. Verùm quod Baptismi integritati nihil decedat, sive per immersionem, sive per adspersionem fiat, abundè à nostratibus evictum. Vide B. D. Gerhardum L. de Baptismo §. 94. seqq. B. D. König Cas. Catechet. p. 217.

seqq. B. D. Fewrb. Synt. secundo Dissert. 7. §. 3. B. D. Heilbrunn. in Defens. Pap. Acath. p. 535. B. D. Hutt. LL. Theol. Major. p. 642. Fluit ex hoc errore de immersionis necessitate alius error, quòd videlicet, *si quem pucrum in immersione frigore mori contingat, aut è manibus elabi ac mergi*, dicant, *ab Angelo illum raptum in cœlum, nec mundum eo fuisse dignum.* Refert Sacranus err. 22.

2. *Superstitiosè oleum ac chrisma fronti* atque *scapulis hominis baptizati apponentes.* Ita de Moscovitis referunt Johannes Faber, Alexander Guagninus ll. cc. Oderbornius in Ep. ad Chytræum, alii: Neugenbaurius tamen ac Guagninus l. c. myrrham cum chrismate adhiberi produnt. Quòd verò ceremoniæ hujusmodi superstitiosæ sint, pridem ostenderunt nostri Theologi. Vid. B. D. Chemnit. part. 2. Exam. C. T. ubi de confirm. agit. B. D. Lobech. in A. C. p. 234. alii.

3. *Sacramento hoc turpiter abutentes*, quando nempe *imagines sanctorum sacro hoc fonte adspergunt*, teste Clemente Adamo in Angl. navigatione ad Mosc. tit. de gentis Relig. Quem Baptismi abusum in Pontificiis (quibus solenne est, campanas quoque, impositio eis certo sancti alicujus nomine, baptisare.) pridem notarunt nostrates. Vide B. D. Gerhardum L. de Bapt. §. 166. add. Causas Recus. Concilii Trid. p. 124. B. D. Nic. Hunnium de Apostasiâ Eccl. Rom. §. 138. Ad abusum porrò Baptismi apud Moscovitas referri quoque potest, quando homines nonnulos maleferiatos post exactam nequitiam rebaptizant. quo de more prolixiùs differit Olearius Itin. Pers. p. 284. Quid quod etiam illos, qui aliquando à religione eorum secessionem fecerant, cùm iterum illorum se jungunt cœtui, denuò baptizent. teste Oleario l. c. p. 289.

4. Eos, qui ex Ecclesia Pontificiorum, Calvinianorum, ac nostra etiam in illorum migrant castra, *rebaptizantes*, Vide Sacranum in Elucid. c. 2. err. 10. de quo errore paullò antè actum. Ast quia nulla adest ratio, cur Baptismus, sive in nostris sive in Pontificiorum aut Calvinianorum etiam Ecclesiis, colla-

collatus repeti debeat: (Etenim utrobique adest materia & forma Baptismi, h. e. effunditur aqua in nomine Patris, Filii & Sp. Sancti) temerarium sanè est, Baptismum repetere. Procul dubio quidem Moscovitæ, Græcos hâc in parte imitantes, baptizant in tertiâ personâ, dicentes: *Baptizetur servus tuus in nomine Patris, Filii & Sp. Sancti.* (Referunt tamen Dn. Olearius l.c. p. 282. itemque Oderbornius ep. ad Chytræum, quòd in prima persona Moscovitæ Baptismum administrent, dicentes: *Ego baptizo te &c.*) cùm in Latinâ aliisque Occidentalibus Ecclesiis ita administretur: *Ego baptizo te &c.* Verùm sicuti Græcæ Ecclesiæ baptismum ob qualem qualem illam formulæ Baptismi discrepantiam non rejicimus vel irritum censemus: ita pariter nec Græci, hosque secuti Moscovitæ nostrum baptismum irritum censere debent. Vide de formulâ istâ sententiam nostratium Theologorum apud B. D. Gerhardum L. de Bapt. §. 88. Nec patrocinatur Anabaptismo Moscovitarum, quòd in primitivâ Ecclesiâ Orthodoxâ illi qui è cœtu Photinianorum ad Orthodoxam se contulerunt Ecclesiam, fuerint denuò baptizati. Sciendum enim, quòd cùm Photiniani atque Ariani SS. Trinitatis mysterium negent, nos verò, nec minus Pontificii ac Calviniani, illud admittamus, longè dispar hîc ratio.

5. In defectu aquæ naturalis, quandoque *in aqua acida* de succo pomorum aut fructuum expressa, *baptizantes* si quidem fides habenda Johanni Sacrano l.c. err. 15. est. Nec est tamen, cur magnopere Moscovitis, si ita statuerent, insultent Papicolæ, cum nec inter eos desint, qui loco aquæ aliud quid substitui posse existimarunt, prout ostendit B. D. Gerhardus L. de Bapt. §. 71. quin & Beza à partibus eorum stare hîc non dubitat, existimans quippe, quòd *quovis alio liquore non minùs ritè, quàm aquâ baptismus administrare possit, si nempè baptismus alicujus differri cum ædificatione non possit.* attamen meritò non solum à nostratibus, sed ab ipsis quoque Calvinianis opinio illa

illa rejicitur. Vide B. D. Gerhardum. L. de Baptism. §. 72. Dnn. Theol. Marp. in Fund. Deduct. Sugillat quoque Cardinalis Bellarminus p. 431. seqq. B. Lutherum nostrum, quòd in colloq. Mensal. dixerit, *quicquid balnei nomine appellari potest, illud esse aquam ad baptizandum, sive sit vinum, sive lac, sive cerevisia.* sed accusationi illi pridem satisfactum à nostris Dd. est. Vide B. D. Gerhardum L. de Bapt. §. 71. Quòd verò Baptismus potiùs penitus omitti debeat, ubi aqua haberi non potest, quàm aquæ loco alius liquor adhiberi, communis Orthod. sententia est.

6. *Baptismum* in quadragesimum à nativitate diem *differentes.* teste quidem Herbensteinio, item Neugenbaurio de Moscis c. 12. p. 82. Etenim Olearius disertè scribit, *quòd quamprimum infans in luminis auras editur, properent ad Baptismum.* Et rectè. Licet n. non certum Baptismo constitutum in Sc. S. tempus sit, haut tamen præter necessitatem ille differendus.

7. *Spiritualem cognationem*, ob quam patrini nec cum infante, cujus susceptores fuerunt, nec invicem possint matrimonium inire, oriri censentes. quâ de re Olearius Itin. Pers. p. 283. ac Faber l. c. Sed erronea hæc sententia est, ceu pridem quoque eadem à nostris in Pontificiis notata. Vide B. D. Gerhardum L. de Conjug. §. 364. sequentibus, B. D. Mentzerum Tr. de Conjug. pag. 68. sequentibus B. D. Tarnovium l. 1. de Conjug. C. 64. alios.

8. Ex aquâ illa, in quâ quis baptizatus fuit, neminem ampliùs legitimè baptizari posse statuentes. ceu ex relatione ritus Bapt. mox apparebit.

9. *Peculiarem cuique baptizato Patronum constituentes.* de quo errore itidem paullò post. Sunt quoque qui existimant Moscovitas persuasum sibi habere, diabolum habitare in infantibus, nec nisi per Exorcismum liberari eos à malo illo spiritu posse. Quæ si Moscovitarum sententia est, graviter quoque errant. Scribit denique de Moscovitis Joannes Faber

l. c.

I. c. illos negare, quòd neque in casu necessitatis licitum sit, ut baptismus à laico administretur. Sed cùm contrarium pateat ex canonibus Johannis Russiæ Metropolitæ, qui apud Herbensteinium leguntur, nolo errorem hunc illis tribuere. Quod verò omninò quoque in casu necessitatis, hoc est, ubi minister Ecclesiæ haberi statim non potest, ac metus est, ne infans sine baptismo vitam claudat, Baptismus à laico legitimè administretur, jam dudum contra Calvinianos ab Orthodoxis evictum. Vid. Dnn. Theologi Marpurg. in Fund. Deduct. p. 472. B. D. Hutterus LL. Theol. Maj. p. 673. B. D. Lobech. in A. C. p. 242. B. D. Gerhardus L. de Bapt. l. 32. seqq. B. D. Gisenius in Repurg. Coll. Rintel. disc. 8. §. 9. 10. B. D. König. Cas. Catech. p. 227. seqq. Cæterùm non grave erit referre, quæ de Baptismi ritu apud Ruthenos usitato, satis eo in quibusdam superstitioso, ac partim etiam ridiculo, Alexander refert Guagninus. ita verò hic c. 2. *Baptismi*, scribit, *Sacramento Rutheni hoc modo utuntur. Nato infante, Sacerdos statim accessitur, qui ante fores puerperæ habitationis certas orationes dicere solet, infantique nomine imposito domum revertitur. Postea puer in templum defertur, hocque modo baptizatur: in aquam immersus, chrismate, quod in hebdommada, feria sexta Pascham præcedente, consecratum est, ungitur, deinde myrrha. postea capillos infanti sacerdos abscindit, eosque cêræ intrictatos in Ecclesiâ certo loco deponit. Sal &c. non adhibent, aquam verò baptismatis pro singulis infantibus consecrant* (idem etiam de Maronitis prodit Thomas à Iesu lib. 7. part. 2. cap. 5.) *& continuò post baptismum in foveam ad præparatam, eam effundunt: Fidejussores verò vel susceptores infantis quoties circa Baptismum à Sacerdote interrogati, An diabolo infans renunciaret, correspondent, toties in terram expuunt.* Similia ferè Neugenbaurius l. de Moscis c. 12. p. 82. ac Olearius in Itin. Persic. p. 28. seqq. de Rutheno-rum Baptismo referunt. Addit saltim hic, *quod dum in templum à patrinis infans deportatur, sacerdos ante fores obviam illis*

procedat, in frontibus ipsorum signum crucis efformet, & his benedictionem infanti imperiatur: Dominus custodiat introitum & exitum tuum, à nunc usque in seculum. *Post novem cereis accensis vas aqua repletum ter circumeunt, præcedente æditio cum picta icone, imaginem Johannis referente. Post usitata apud eos quoque interrogationes ad Patrinos instituuntur, quodnam scilicet debeat esse nomen infanti?* (hic discrepare videtur Guagninus. quippe, ut modò relatum, scribens, *quod statim ac infans natus est*, nomen à Sacerdote illi imponatur.) *ibi nomen chartæ inscriptum sacerdoti porrigitur & t. ac tollo tandem infantis crux ex auro, argento, vel plumbo etiam, pro ratione facultatum parentum appenditur; quam etiam infans per totius vitæ spatium de collo gestare cogitur, in testimonium Christianismi: Sacerdos præterea infanti certum sanctum adsignat, & ejusdem effigiem ipsi tagitur.* Addit præterea Oderbornius Ep. ad Chytræum, *quod sacerdos postquam infantulum baptizatum blandè exosculatus fuit, illius caput ad crucem, quæ templi foribus incisa est, magno impetu ter verberet, & nisi testes baptismi ictus audiant, indignentur propterea, neque puerum rectè sacris initiatum credant.*

CAP. XVII.

De S. Eucharistia.

HAbent sanè in præsenti articulo Moscovitæ nonnulla, quæ albo signanda lapillo sunt. neque tamen etiam desunt, quæ nigrum merentur calculum.

Rectè faciunt, quando 1. urgent, quod *sub utraque*, (ut ita sensu orthodoxo loquar) *specie* dispensari sacra Eucharistia laicis quoque debeat: sicuti etiam apud eos talis communio Eucharistica, nec alia in usu est: Quâ de re testantur passim Autores. Vid. Baro Herbensteinius Comm. rerum Mosc. p. 29. Alex. Guagninus in descript. Mosc. 2. Oderbornius tum in ep. ad Chytræum, tum in vitâ Joh. Basilidi, Petrejus part. 6.

Chron.

Chron. Mosc. p. 666. Olearius Itin. Pers. 310. Jovius, &c. Persuadere quidem Lectori Joh. Faber Pontificius Scriptor satagit, quòd Moscovitæ sub una specie communicent. Verùm contrarium è constanti autorum modò memoratorum, aliorumque plurium evinci testimonio potest. Nec turbet aliquem quòd junctim exhibeant panem & vinum benedictum, dum scilicet panem sacratum calici intritum cochleari argenteo è manibus mystæ, calicem tenentis, hauriunt. Etenim licet morem hunc Eucharistiam accip. minimè probemus (cum Christus panem benedictum non legatur calici benedicto intrivisse: sed utramque speciem separatim exhibuisse.) exinde tamen colligi non potest, quòd sub una saltim specie laici apud Moscovitas communicent. Quod verò calix laicis minimè subtrahendus sit, id quod apud Papicolas fieri solet, pridem abundè à nostratibus probatum. Videantur Bb. Dd. Mylius, Grawerus, Lobechius, alii in A. C. ad art. 1. abusuum, B. D. Mentzerus Disp. XI. contra Pistor. B. D. Chemnitius part. 2. Exam. Concil. Trident. B. D. Bald. contra Becanum, B. D. Gerhardus C. C. art. 14. c. 7. Thes. unicâ. cumprimis Plurimum Reverendi, Excell. Viri, Dn. D. Musæus ac Dn. D. Chemnitius, Professores Theologi in Acad. hâc Salanâ celeberrimi, Patroni ac Præceptores mei venerandi, hic in Disp. singulari de ποτηριοκλεψία antiquitatis fuco à Pontificiis illita, ille vero Tract. de communione sub utraque.

2. Quando S. Eucharistiam linguâ sibi vernacula consecrant & administrant. Testantur hâc de re Philippus Pereniston apud Honorium in Thes. Pol. p. 282. Clemens Adami in navig. Angl. in Mosc. Miechovius in Sarmatia l. 2. tr. 1. p. 1. Alexander Guagninus in de Relig. Moscov. Oderbornius in Vita Johannis Basilidis lib. 1. alii. Quibus autem consecrare verbis soleant distribuere communicantibus, variant auctores. Dn. Olearius Itin. Pers. p. 311. scribit, quòd hâc utantur formula, quando communicantibus sacra symbola junctim exhibent:

exhibent: *Hoc est verum corpus & sanguis Christi, qui prò vobis & pro multis traditur in remissionem vestrorum peccatorum, quod quoties accipitis, in Christi recordationem sumere debitis. DEus vobis benedicat.* Oderbornius in ep. ad Chytræum refert, quod Sacerdos ita consecret. *Hoc est corpus & hic est sanguis Domini Jesu Christi quem Judæi innocentem morte mulctarunt.* Lasizius in Theolog. Mosc. adhuc aliter, nempe: *corpus Christi accipite, & ex fonte immortali gustate.*

3. Quando *ægrotis etiam in privatis ædibus S. Eucharistiam porrigunt.* Qua de re videantur Pereniſten apud Honorium l. c. Olearius l. c. Quòd enim etiam privatis in ædibus S. Cœna celebrari possit, recte monent nostrates Theologi contra Calvinianos. Vide quæ in rem hanc leguntur apud B. D. Gerhardum L. de S. Cœna §. 256. seqq.

3. Quando requirunt, *ut reconciliatio* cum proximo sacram communionem *præcedat.* Vid. Joh. Faber in Mosc. ad Ferdin. quem morem Græcis quoque in usu adhuc esse, docet Christophorus Angelus Græcus in statu Ecclesiæ Græc. confirmatque ex Eulog. Græc. Dn. Fhelavius in Annot. ad d. l. p. 147. Exhibet etiam insignem hanc in rem locum ex Chrysostomo B. D. Gerhard. L. de S. Cœna §. 251.

5. Quando *non nisi à Sacerdote Sacram Eucharistiam administrari posse* statuunt, referente Fabro l. c. Qua quidem in parte rectiùs sentiunt Moscovitæ Socinianis & Arminianis, de quibus Dn. D. Calovius in Armin. Confid. it. in Socin. Profligato, ac aliis nonnullis, quorum B. D. Gerhardus l. c. §. 17. meminit.

6. Quando Missas quæstuarias, quibus pulcrè suis prospicere loculis Papicolæ solent, rejiciunt & improbant. Vid. Chytræus lib. 1. Vitæ Joh. Basil. Conf. Joh. Fabrum l. c.

Minùs verò rectè hîc procedunt Moscovitæ, 1. quando *transsubstantiationem credunt.* Si quidem fides habenda Joanni Fabro hîc est. & videntur quidem Moscovitæ in ea esse opi-

nione, id quod inde patere videtur, quoniam hostiam consecratam adorant, teste Philippo Pereniſten apud Honorium l. c. p. 283. Et quod mireris, etiam *ante consecrationem* talem honorem symbolis, quæ consecrari debent, exhibere quoque solent: ita ut ubi sacerdos illa spectanda exhibuerit: populus statim pronus in terram cadat, veneretur & idololatret, ut loquitur Johannes Sacranus Scriptor Pontificius in Elucid. c. 2. err. 20. ubi observa, quod symbolorum externorum adorationem rectè idololatriam appellet. Haut igitur indignentur Papicolæ, quando ἀρτολατείας eos accusamus exinde, quòd panem benedictum, quem circumferre solent, adorant. Subjungit quidem Sacranus, *quòd post consecrationem* symbola illa populus *non amplius veneretur, nec ullum eis honorem exhibeat*, juxta Scargam. Sed contrarium testatur Pereniſten, itidem Pontificius Scriptor, disertè scribens l. c. quod sacra Eucharistia consecretur serveturque in Ecclesia cum summa veneratione, ex quo rumpatur particula cum argenteo cochleari, quam in modica aqua tepida infusam ægrotis exhibeant, adorantes illam devotè, adeò ut nihil in hac re exorbitent à Pontificiorum moribus, nisi quòd fermentato pane utantur. Quæ verò argumenta errori Pontificiorum tum *de transsubstantiatione*, tum *de symbolorum adoratione*, opponenda sint, passim reperire apud Theologos orthodoxos est. Vid. B. D. Chemn. part. 2. Exam. Trident. B. D. Hülsem. in Man. A. C. B. D. Gerhardus Confeſſ. Cathol. art. 14. c. 28.

2. Quando *panem Eucharisticum per integrum annum reponunt & observant.* Etenim semel tantum in anno S. Eucharistiam consecrare pro ægrotis solent, die puta Jovis majoris hebdomadæ, quam in Ecclesia adservant. Refert Pereniſten apud Honor. p. 283. Similia habet Guagninus l. c. Quæ verò cum adservatione illâ pugnent, videantur apud B. D. Gerhardum C. C. art. 14. C. 3. B. D. Chemn. l. c. B. D. Menzerum in Anti-Pist. Disp. 9. alios.

3. Quando *usum Panis fermentati nimis rigorosè* propugnant, ita ut errorem, (quem ita vocat Joh. quidam Russiæ Metropolita in ep. ad Pontificem Romanum, quæ apud Herbenst. legitur,) de azymis principium & radicem totius hæreseos, statuant. quam nempe ex eorum sententia fovent, qui pane azymo utuntur. Quod verò Moscovitæ in S. Eucharistia non nisi fermentato utantur pane, passim testantur Autores. Vid. Pereniften apud Honorium l. 5. Faber, Guagninus, Clemens, Adami, Jovius, Oderbornius, Scarga, Sacranus ll. cc. Scribit quidem Oderbornius in Vita Joh. Basil. quòd *utplurimùm pane fermentato* Moscovitæ *in cœnâ utantur.* Sed non *ut plurimùm*, verùm semper, nec unquàm aliter, quàm pane fermentato illi in S. Eucharistia utuntur. Est ergo procul ambiguo erratum vel μνημονικὸν, vel τυπογραφικὸν, quod tamen in omnibus, quas vidi, edit reperitur, quando idem Oderbornius in ep. ad Chytræum scribit, quòd *panem* azymum *domi suæ pinsant cives, & deinde quoties cœlestè illud convivium accedere gaudent, sacerdoti offerant, ut consecret, & cum calice distribuat.* Nostratium quæ sententia hîc sit, videri apud B.D. Gerhardum in C. C. art. 14. c. 4. aliosque potest.

4. Quando *aliquid aquæ cum vino benedicto miscendum esse* urgent, & quidem tepidæ, ita ut etiam damnent Ecclesiæ Romanæ ritum, quæ aquam frigidam ad calicis præparationem accipit, teste Sacrano err. 16. dicunt enim, *ex latere Christi, cùm nostras in cruce sordes elueret, sanguinem & aquam defluxisse: alioqui enim miracula vix censeri posse.* Referunt Oderbornius in Vitâ Joh. Basilid. lib. 1. Sacranus l. c. it. Joh. Faber de Relig. Mosc. ad Ferdinandum consentiunt cœteri. Scribit insuper Johannes Faber l. c. quòd *tantum aquæ, quantum vini rubri misceant.* Aft Sacranus l. c. contradicit, diserte scribens, *quòd duas aut tres saltem vini guttas aquæ calidæ admisceant, ità ut nec vinum, quippe in aqua absumtum, sentiatur.* Posset mixtio illa aquæ cum vino tolerari, modò modica aqua adhiberetur, nec tanquam ad S. Eucharistiam peragendam necessararia statueretur.

retur. Vide quæ in rem hanc leguntur contra Pontificios apud B. D. Gerh. C. C. art. 14. c. 5. Illud verò tolerari minimè potest

5. Quando *solâ aquâ* vel etiam *calido medone* seu *mulso in S. Eucharistiâ utuntur.* Ceu de hoc testantur Oderbornius in ep. ad Chytræum, de illa Pereniſten apud Honor. p. 283. De utroque Olearius. vel *succo de pomis expresso*, teste Lasizio. Hoc verò cum sit directè institutioni Christi adversum, meritò rejicitur, nec ulla ratione defendi potest. Neque patrocinatur huic errori, vel vini defectus, vel quod quidam sint abstemii. Vid. de Abstemiis B. D. Bald. contra Patzmannum p. 1035. in Cas. Consc. p. 454. 455. B. D. Feurb. Synt. 2. p. 369. Dn. D. Chemnit. Instruct. Min. Eccles. p. 344. B. D. Gerhardus L. de S. Cœnâ §. 227. B. D. König Cas. Catech. p. 166. alii. Quod v. casum illum, ubi vinum deficit, spectat, de illo videatur idem B. D. Gerh. l. c. §. 67.

6. Quando infirmis etiam in *solo vino absq; pane* Eucharistiam, præbent, teste Guagnino.

7. Quando *pueris septem annorum sacram Eucharistiam porrigunt, eò, quòd homo septennio exacto contrà Deum peccare incipiat.* Refert Guagninus. Sed ut jam non tangam, quòd ad hoc, ut quis S. Eucharistiâ rectè utatur, non sufficiat, peccatum aliquem posse, cum Apostolus requiratur, ut qui frui hâc mensâ vult, se possit etiam probare, 1. Cor. 11. 28. id quod in puerũ se tenem non cadit: certè nullo prætextu uti hic possunt Moscovitæ, quando *trium* quoque annorum *pueros ad S. Eucharistiæ participationem admittunt*, prout testantur Joh. Faber l. c. Lasizius in Theol. Moscov. alii, Dn. Olearius in Itin. p. 312. Cœterum utut in primitivâ Ecclesiâ apud aliquos in usu fuerit, ut infantibus quoque S. Cœnam porrexerint meritò tamen hoc ipsum posteà abrogatum fuit. Vide B. D. Gerhardum L. de Cœna §. 229. Denique erraruntolim Moscovitæ, quando militibus in præliũ ituris panem benedictum seu Eucharisticum viatici quasi loco commiserunt, quâ de consuetudine vid. Sacranum in Eluc. err. 18. Petrejum part. 6. Chron. p. 668. sed hanc abrogatam jam Olearius l. c. p. 312. scribit.

Tri-

Tribuere quoque Moſcovitis Pereniſten apud Honor. l. c. p. 280. videtur, quaſi ſemel tantùm in anno Euchariſtiâ utantur, puta in ſeptimanâ magnâ, quæ Paſchatos feſtum præcedit, ſed diverſum produnt alii. Vide Guagninum l. c. Olearium l. c.

Sic de iisdem Faber tradit, cum quo etiam Petrejus conſentit, quòd *Miſſas* quoque *pro mortuis celebrent*. Hoc ſi verum, nullum dubium, quin graviter errent, ceu ex illis, quæ noſtrates contra Miſſaticum Pontificiorum Sacrificium diſputant, ſatis patet. Vide B. D. Hutterum in Thriumpho de Regno Pontificio c. 7. B. D. Chemnit. part. 2. Concilii Trident. B. D. Gerhardum C. C. art. 15. c. 1. §. 3. Notandum verò, quod eos, qui Liturgiam ad quæſtum transferant (id quod apud Papiſtas maxime ſolenne eſt) odio digniſſimos habeant, teſte Oderbornio lib. 1. de Vita Joh. Baſilidis. Conf. quoque Faber l. c.

CAP. XIIX.

De Eccleſia, Conciliis & Ritibus Eccleſiaſticis.

RECTÈ quidem docent Moſcovitæ, quando 1. in Symb. Niceno profitentur, quod credant ЕДИНУ, СВЯТУЮ, СОБОРНУЮ, И АПОСТОЛСКУЮ ЦРКОВЬ i. e. *unam ſanctam, catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.*

2. Quando negant, *Pontificem Romanum eſſe Eccleſiæ caput.* Perquam ſanè inviti hoc audiunt Romanenſes, adeo quidem, ut penè inficias ire quidam audeant, quòd in eâ Moſcovitæ ſententiâ ſint. Certè nimis audacter Johannes Faber circa fin. tract. de Relig. Moſc. ſcribit, quòd Moſcovitæ Pontificem Romanum ut Chriſti vicarium & ſucceſſorem Petri agnoſcant. Sic Philippus quoque Pereniſten gloriatur, quod Moſcovitæ maximum videndæ Romæ deſiderium præ ſe fecerant. item, *quod cum petiiſſet, num liceat ſibi S. Nicolai* (quem ſanctum

ctum Ruſſi colunt) *corpus venerari, reſponderint Moſcovitæ, licere, ſi modò religionis eſſet antiquæ* (N. B. *antiquæ*: ſed intelligit Pereniſten hodiernam, cùm de hoc conquerantur nobiscum Moſcovitæ, quòd hodierna Romanon ampliùs vetus ſit,) *Romanæ, & non Lutheranæ.* addit: *generatim enim modernos hæreticos Lutheranos vocant, ipſosque pejus Turcis oderunt.* Quam ſplendidum hoc mendacium ſit, facilè deprehendet; qui cognoverit, quòd Moſcovitæ non ſolùm Lutheranis ac Calvinianis publicum religionis exercitium in ſuis territoriis lubenter concedant, ſed & Muhammedanos tolerent; Judæos verò & Romano-Catholicos nullibi patiantur, nec facilè cum iis converſentur, ceu teſtis fide digniſſimus eſt Dn. Olearius Itin. Perſ. p. 317. ſeqq. Sed audiatur Joannes Sacranus Scriptor Pontificius, Theol. quondam Mag. & Eccleſ. Cracovienſis Canonicus. Hic in Elucid. err. 1. diſertè ſcribit: *Negant Rutheni, Sanctum Petrum verum Papam & verum Romanæ ſedis antiſtitem, & Eccleſiæ militantis caput unicum fuiſſe: nec accepiſſe plenitudinem auctoritatis à Chriſto. Quod & de quolibet R. P. ſucceſſore ejus tenetur: & commune eum cum aliis Pontificibus eſſe dicunt.* Similia habet err. 2. & in err. 3. ſcribit idem: *Dicunt* Rutheni, *omnes obedientes Romanæ Eccleſiæ veros Chriſtianos non eſſe, neque ſalvandos: eo quòd ab Eccleſiâ primitivâ diſcrepant. Imò Dominum Papam cum Eccleſia Romana dicunt hæreticum eſſe de hæreſi Ariana &c.* Hoccine verò eſt, Pontificem Romanum Chriſti Vicarium & Petri ſucceſſorem agnoſcere! Quo etiam animo in P. R. Moſcovitæ ſint, patet ex iis, quæ Iſidoro, qui tempore Eugenii obedientiam Romanam Moſcovitis prædicavit, evenerunt, de quibus legi Miechovius in Sarmatia poteſt lib. 2. tr. 1. cap. 1. Adde in eandem rem Guagninum, it. Oderbornium in ep. ad Chytræum.

3. Quando *Patrum ſcripta admittunt*, non quidem ut judicum quæ dignitas ſolis ſacris literis competit, ſed ut teſtium. Quos verò Patres cumprimis in ſuam transtulerint linguam,

adeoque etiam legant, jam tum supra monui. Plures verò refert Jesuita Possevinus in Appar. Sacro tit. *Russi.* De Chrysostomo quoque retuli, quòd ab ipsis *Slotousti* id est, os aureum cognominetur. Patet hinc error Philippi Pereniſten, qui in Relatione sua linguâ Italicâ scripta, de Magno Moscoviæ Principe hæc habet: *Non hanno Theologo ſtimato più di S. Giovanni Chriſoſtomo, chiamandolo Satareſta coiè durum os, come in Greco.* Certè nec Moscovitæ Chrysostomum *Satareſta* nominant, nec in Græco χρυσόστομος *durum* sed *aureum* os sonat. Refert quoque Miechovius, quòd Moscovitæ Greg. Nazianzenum sermone ipsorum Bogoslovv nuncupent, quod sonet laudare Deum rectè omninò. nam БОГЪ notat Deum, & СЛОВО *laudans*, unde СЛАВА *laus, gloria* &c. Errant vero iidem 1. quando *vi ad religionem vel baptiſſimum cogunt.* Refert quidem Olearius p. 289. quòd haut facilè tale quid faciant, interea si vel maritus vel parentes eorum religionem amplexi fuerint, tunc etiam non uxor minùs quàm liberi nolentes ad baptismum rapiuntur, ceu tale exemplum ipse Dn. Olearius refert pag. præced. De Johanne Basilidis testatur quoque Oderbornius in ejus Vitâ lib. 2. quòd cum Astrachanium Tartarorum civitatem vi occupasset, captivos Tartaros (Muhammedanæ alioquin religioni addictos) baptizare jusserit, cœteros qui obstinatiùs religioni Christianorum adversarentur, continuò ibi dicerpserit aut in flumine submerserit. Sic idem de eodem refert paulo pòst, quòd captâ Polocia Judæos, qui baptismatis fonte intingi nollent, confestim Dunæ aquis submerserit. Cæterùm quòd hujusmodi violenta ad religionem coactio approbanda minimè sit, pridem docuerunt nostrates. Vid. B. D. Konig. Cas. Catech. p. 688. B. D. Gerh. tum L. de Magist. Polit. §. 198. f. 333. &c. tum Confess. Cath. l. 1. gener. part. 2. 19. §. 1. alii.

2. Quando *suam tantùm Ecclesiam*, sub qua etiam Græcam comprehendunt, *statuunt veram ac Christianam*, aliis verò in cœtibus sive Pontificiorum, sive Calvinianorum, seu etiam

Luthe-

Lutheranorum viventes *semi Christianos*, ceu hâc de re testantur Johannes Sacranus in Elucid. c. 2. err. 3. it. Guagninus l. c. qui disertè scribit, *quòd Romanos & alios Christianos damnent & execrentur, tanquam primitivæ Ecclesiæ desertores, & septem Sanctarum Synodorum prævaricatores.* Verùm licet errores ac falsa dogmata meritò damnentur: non tamen propterea statim omnes, qui in cætu aliquo, in quo tamen verbum DEI sonat & Sacramenta administrantur, vivunt, quique ex simplicitate errant, nec blasphemi in veritatem doctrinæ cœlestis sunt, multo minùs totæ Ecclesiæ damnandæ sunt. Vide Præfat. in F. C.

3. Quando conciones ad populum habere severe prohibent, veriti scilicet, ne exinde hæreses oriantur. Testes hujus rei sunt Jovius, Guagninus, Olearius, ll. cc. alii.

4. Contrà verò fabulas prælegunt, quâ de re evolvi possunt Guagninus, & Oderbornius in ep. ad Chytræum. Quod si fabulæ istæ *Verbum DEI*, salutari possunt, rectè scribit de Moscovitis Faber, *quod verbum Domini pari devotione apud illos & prædicetur & audiatur.*

5. Quando organa Musica è templis proscribunt, testibus Fabro ac Oleari, ll. cc.

6. Quando Diabolum suffitu è templis profligari posse, persuasum sibi habent, referente Oderbornio ep. ad Chytræum.

7. Quando credunt, non posse preces ritè fundi, nec exomologesin fieri, vel infantem baptizari, nisi præsente imagine alicujus sancti, cumprimis Nicolai. Vid. Guagninus, Olearius, Oderbornius.

8. Quando persuasum sibi habent, templa profanari, si vir aut fœmina, qui præteritâ nocte Venereum actum (etiam in legitimo matrimonio) exercuerunt, illud ingrediantur, ut habet Oderbornius in ep. ad Chytræum. Quod ipsum his quoque verbis confirmat Jovius, in Moscovia sua scribens: *Religiosissimè templa venerantur, adeò ut ea neq; viros, neque fœminas, Venereis pollutos complexibus intrare fas sit, nisi priùs privatis balneis abluantur. Sæpeque accidit, ut complures utriusq; sexus sacra audientes extra limen consistant, & propterea à petulcis juvenibus recentis incontinentiæ notati facetis aliquando nutibus salutentur.*

9. Quando sacris peractis Baccho litant. Vid. Oder.

10. Quando palmas, oleum, aquam &c. benedicunt, teste Fabro.

CAP. XIX.

De Magistratu Politico & Ministerio Ecclesiastico.

RECTÈ statuunt hîc Moscovitæ

1. Quod Magistratus Politicus sit *ordinatio divina* teste Oderbornio, de Vitâ Johannis Basilidis lib. 1.

2. Quòd idem capitalia supplicia fontibus irrogare possit, teste Olearío l. c. aliisque passim.

3. Quòd ad eundem cura quoque religionis spectet. Vide Sacran. cap. 3.

4. Quòd ab hujus jurisdictione clerici non sint exemti, cumprimis in delictis criminalibus ac civilibus. Vid. Sacranus err. 40. Petrejus part. 6. Chron. p. 649. Olearius part. 3. c. 28. Herbensteinius p. 21.

5. Quòd Ministerium Ecclesiasticum divinitus sit institutum prædicandi (liceat ita loqui, cùm Moscovitarum Sacerdotes saltem ex libris legere teneantur, quæ in Ecclesiâ proferunt) verbum, & administrandi Sacramenta.

6. Quod non nisi probati eligendi in Ministerium, teste Fabro, ac benè meriti, referente Guagnino: quamvis id haut semper attendatur, ceu patet ex Olearío p. 228.

7. Quod de honestâ sustentatione Ministris Ecclesiæ prospici debeat. Vid. Fabrum, Guagninum ll. cc. Oderbornium in ep. ad Chytræum.

8. Quòd ob conjugium nemo à Ministerio Ecclesiastico debeat excludi, qua de re passim testantur autores. Vide Guagninum, Oderbonium in vita Basilidis lib. 1. Fabrum, Joh. Metropolitam Russum in epist. ad Archi-Ep. Rom.

9. Quòd ordo sit tolerandus inter Ministros Ecclesiæ. Vid. Olearius l. c. Faber, alii.

10. Quòd Episcopi non implicare se rebus secularibus debeant, sed res curare divinas. Vid. Guagninus, Herbensteinius, &c.

11. Quòd à Ministrorum Eccl. vocatione & constitutione Magistr. Politicus non excludatur. Vide Olearium l. c. Guagninum, Herbensteinium Baronem.

Errant verò ac reprehensionem merentur

1. Non permittentes, ut Ministri Ecclesiæ conciones ad populum habeant. Vid. Olearius l. c. 25. Baro Herbensteinius p. 35. Guagninus l. c. Petrejus part. 6. Chron. Mosc. Jovius in Mosc. alii.

2. Scelatos quoque Ecclesiæ ministros tolerantes. Videntur Oderbornius ep. ad Chytræum, Olearius passim.

3. In-

3. Indoctos ep. rudes aliquando constituentes Ecclesiæ Ministros. Refert Dn. Oleario l.c. c. 9. quòd si quis ejusmodi uxorem, quam Maritus, in Monasterium se recipiens, ob gloriam, ut loquuntur, DEI deseruit, matrimonio sibi junxerit, in Ministrum Ecclesiæ sive Sacerdotem statim ungatur, ubi hoc desideraverit, si vel sutor vel sartor aliàs is fuerit.

4. Per calumniam nobis imputantes, quòd apud nos non sit legitimum Ministerium Ecclesiasticum, item quòd Sacerdotes nostri non habeant legitimas uxores, sed meretricum greges. Vid. Oderborn. lib. 1. de vita Joh. Basilidis.

5. Non permittentes, ut Ministri Ecclesiæ proprias quoque habeant possessiones, teste Fabro.

6. Non nisi conjugatos in Ministerium Ecclesiasticum eligendos ac recipiendos esse, statuentes. videntur Olearius c. 28. Baro Herbensteinius, Guagninus l. c.

7. Ministros Ecclesiæ si defunctâ uxore ad secundas transierint nuptias, ab officio sacerdotali removentes, ceu hâc de re testantur Guagninus, Oderbornius lib. 1. vitæ Joh. Basilidis, Olearius l. c. alii.

8. Imo ne quidem, si vel maximè in cœlibatu vivere dehinc velint, ad sacra peragenda ampliùs tales admittentes, teste Herbensteinio p. 21. nisi scilicet Monasterium aliquod ingrediantur, ac juxta regulam vivant.

CAP. XX.

De Matrimonio.

RECtè versantur circa præsentem articulum Moscovitæ.

1. Polygamiam simultaneam improbando, qua de re unanimiter testantur, quotquot de illis aliquid litterarum monumentis consignarunt.

2. Poppis seu Sacerdotibus suis, uti in Conjugio vivant permittendo. ita testantur unanimiter, quotquot de Mosc. relig. scripserunt. Vid. Faber, Guagninus, Oderbornius, Clemens Adami, Hornbeek, alique passim.

3. Non permittendo, ut conjuges cohabitent, nisi solennitate publicâ priùs fuerint copulati, teste Oderbornio in ep. ad Chyt.

4. Consanguinitatis & affinitatis in nuptiis rationem habendo. Vide Fabrum l. c.

5. Parentum consensum in nuptiis liberorum requirendo, memorante Oderbornio ep. ad Chyt. Quem tamen consensum futuri soceri per media minùs legitima generum impetrare sive extorquere solere idem refert.

1. Adulterium haut satis severè puniendo, ne pro adulterio habendo, nisi quis alterius uxorem retineat, teste Olearo l.c. cap.9. item Herbensteinio p. 35. Refert quoque Sacranus error 31. quòd fornicationem simplicem pro peccato mortali non habeant.

2. Sponsas suas priùs deflorando, quàm publica consecratione sive benedictione eis copulentur. si tamen ita se res habet, prout Oderbornius prolixiùs refert in ep. ad Chytræum.

3. Coactum cœlibatum approbando. Vide supra cap. de Ecclesiâ, eandemque matrimonio præferendo. vid. Lasiz. p. 150. nec Episcopis & Metropolitis matrimonium concedendo. vid. Olear. l. 3. c. 28.

4. Incestum tolerando. quo de scelere supra cap. de Lege actum.

5. Secundas tertiasque nuptias improbando. vid. Sacr. err. 38. Faber, Guagninus l. c. Herbenstein p. 35. quod tamen Joh. Basil. parùm curavit.

6. Divortia sine gravi causâ instituendo. Vid. Olearius l. c. Sacranus err. 37. Conf. etiam quæ suprà c. de Ev. monita. add. Jovius.

7. Poppis suis altero conjugio, nisi removeri ab officio Sacerdotali velint, interdicendo.

8. Non nisi conjugatos seu in conjugio viventes Poppos constituendo, uti cap. præcedenti ostensum.

9. Uxorem suorum copiam aliis faciendo, si penuriâ fuerint pressi. teste quidem Petrejo part. 5. Chron. Mosc. p. 630.

10. Causam matrimonium impedientem spiritualem cognationem statuendo, quâ de re supra c. de Bapt.

11. Nuptias cum fratriæ sorore prohibendo. Vide Petrejum.

12. Pueris ac puellis undecim annorum ut matrimonium ineant, concedendo. vid. Olearium lib. 2. c. 12.

13. Matrimonii actum, in se spectatum, pro impuritate habendo. vide Jovium, Olearium, alios.

CAP. XXI.

De Morte & Resurrectione Mortuorum.

RECtè circas præsentes Articulos Moscovitæ versantur.

1. Animæ immortalitatem, adeoque & mortuorum resurrectionem credentes: vid. libb. Moscov. Catech.

2. *Mortuos suos honestè sepelientes.*

3. *Purgatorium Pontificium negantes.* Vid. Sacranus err. 33. Guagninus, Scarga p. 222. Pereniften apud Honor. Petrejus part. 6. Chron. p. 660. Paulus Jovius, Episcopus Nucerinus. Pontificius acerrimus in Moscovia diser-

diserte: *cæterùm*, scribit, *quod valde alienum à Christianâ religione esse vidimus, nullis Sacerdotum suffragiis, nullaque propinquorum aut amicorum pietate juvari mortuorum manes arbitrantur, fabulosumq; esse purgatorii locum putant &c.* Quod testimonium observandum contra mendacium Fabri l.c.

1. Errant verò Moscovitæ hìc 1. *Pro salute amici mortui bibentes*, teste Oderb. in ep. ad Chytr.

2. *Iustos, donec Christus natus fuit, ad inferos descendisse*, statuentes. Vide Lasizium p. 36. 117. 118.

3. Quin & *eorum piorum, qui in N. quoque Testam. moriuntur, animas priùs ac ad beatificam DEI visionem, quàm in die extremo corporibus suis iterum jungantur, admitti*, negantes. Vid. Guagninus l.c. Scarga l. 3. c. 2. Sacranus Elucid. 34. impiorum quoque animas haut statim in infernum vel locum cruciatuum venire, affirmantes, teste Guagnino.

4. *Defunctis per Missas subveniri posse*, censentes, referente Fabro l.c. Confirmant quoque Olearius l. 13. c. 31. ac Petrejus p. 651.

5. *Sanctos*, quos vocant, *defunctos invocantes*, teste eodem Fabro l.c. *ingq; eorum honorum templa erigentes.* Vid. Guagninus, Olearius l. c.

6. *Sanctorum defunctorum imagines accensis cereis honorantes, margaritis it. ac gemmis illas ornantes &c.* Vid. Olearius. *Quòd sanctos defunctos convitiis proscindamus*, nos accusantes. Vid. Oderb. l. 1. vitæ Joh. Basil.

7. *Defunctis literas ad Apostolum Petrum, tanquam cœli janitorem committentes*, teste Guagnino, item Oleario, qui etiam ejusmodi literarum exemplum exhibet l. 3. c. 31.

8. *Funebre sacrum prò defunctis* facientes, *quod iis suffragiis tolerabiliorem animabus locum impetrari sperant*, teste Guagnino. conf. etiam Olearius l. c.

9. *Ridiculas quæstiones defunctis, cur hinc discesserint*, proponentes, quas recenset Olearius l. c. Adde etiam Meletii ep. ad G. Sabinum.

10. Etiam *in inferno jam tum constitutis, vel certè in viâ ad illam comprehensis, defunctisq; precibus succurri posse*, sibi persuadentes. Vide Guagninum, Olearium ll. cc.

Atque hæc sunt, quæ de Religione Moscovitarum consignare placuit. Animus sanè erat, prolixiùs hæc deducere, ac ritus insuper, qui in S. Eucharistiæ distributione, nuptiarum item solennitatibus ac funerum compositione apud Moscovitas in usu sunt, & à Guagnino, Oderbornio, Olearioque satis diligenter annotati sunt, exhibere: Verùm cùm typographus jam jam ad nundinas properet Lipsienses, in quibus merces has minùs certè elaboratas, extrudere confidit, coactus sui vela contrahere, sed alio fortè die iterum pandenda.

FINIS.

COROLLARIA.

I.

CONtra PHOTINIANOS. Spiritus Sanctus est persona, a Patre & Filio realiter distincta.

II.

Contra GRÆCOS. Spiritus Sanctus sicuti in tempore mittitur, ita quoque ab æterno procedit à Patre & Filio.

III.

Contra ANABAPTISTAS. Infantes in Christianâ Ecclesiâ nati non solùm possunt, sed etiam debent baptizari.

IV.

Contra PONTIFICIOS. Scriptura Sacra quoad credenda & facienda satis clara & perspicua est.

V.

Contra CALVINIANOS. Sicuti originale, ita etiam actualia in infantibus dantur peccata.